



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Hebdomada III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

HEBDOMADA TERTIA.

In hac quoque Hebdomada ex singulis punctis Mysteriorum dabimus unam integram Meditationem, cum sex punctis, juxta modum prescriptum à S. P. Nostro, in hac Hebdomada. Discrimen inter puncta Mysteriorum, & puncta Meditationis, videri potest in Explanationibus.

MEDITATIO I.

De Cœnâ ultimâ. Matth. 26. & Joan. 13.

Myst. punct 1.



CONGRUA. Ubi fuero ex perrectus, precogitans quo tendam, & instantem Contemplationem paululum delibans, interim dum surgo, & accingor, adnitar simul ad tristitiam & dolorem, de tot ac tantis Christi pœnis me ipsum acriter incitare. Ita S. P. Noster.

PRÆL. I. Christus comedit cum Discipulis suis

R 2

Pa

Paschalem agnum, eosque de imminente sua morte præmonuit.

PRÆL. II. Conspicari locum Cœnæ.

PRÆL. III. Petere gratiam intimè Christo compatiendi, & dolendi, quòd propter nostra peccata ad tot dolores & tormenta se exponat.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Christum cum Discipulis comedentem, Agnum Paschalem.

INTEL. Contemplemur externum situm. Exod. 12. *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter. Est enim Phase, id est transitus Domini.*

REFL. Nos discamus hinc, quod accincti esse debeamus ad iter in æternitatem, cujus Phase erat figura.

VOL. Statuamus implere illud, quod toties audivimus, *sint lumbi vestri praeincti. &c. Luc. 12.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus dixit: *Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Matth. 26.*

INTEL. Christus nihil acerbum addit: neminem nominat. REFL. Consideremus quoties nos deflectamus ab illa mansuetudine Christi in nostris verbis.

VOL. Imitemur deinceps hanc mansuetudinem, qui dixit: *mitis sum, & humilis corde. Matth. 11.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus comedit cum Discipulis agnum Paschalem.

INTEL. Sic satisfecit, & curavit satisfieri à suis præcepto Legis antiquæ, REFL. Examinemus, an nos quoque solliciti simus, ut à nobis & aliis servantur præcepta, ordinationes & Regulæ.

VOL. Dicamus Deo : *tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Ps. 118.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Circumspiciamus omnes, cum quibus Christus comedit Paschalem agnum.

INTEL. Valde sensibile fuit cum illis convesci, qui post paucas horas illum derelicturi erant; cum uno, qui ter ipsum negaturus erat, & cum altero, qui illum traditurus erat. REFL. Inveniemus in hoc genere nos nil simile passos.

VOL. Quando Regem nostrum videmus in illis angustiis, compatiamur illi : & cibum ac potum nostrum cum fletu misceamus.

PUNCTUM II. V. QUID DIVINITAS. MEM. Contemplemur Divinitatem unitam humanitati Christi.

INTEL. Tamen ita Judæ permittit Divinitas suam libertatem, & adeò non adjuvat humanitatem, ac si unita non esset. REFL. Et tamen nos obmurmuramus Deo, quando non statim eripit nos à tribulatione.

VOL. Confundam me, tanquam indignum militiâ Regis tanta patientis.

PUNCTUM. VI. QUID NOS. MEM. Iterum cogitemus tribulationem Christi in consortio illo convalescentium.

INTEL. Hæc omnia patienter sustinet, ut doceat homines patientiam in injuriis & adversis, & satisfaciat pro peccatis impatientiæ. **REFL.** Recenseamus peccata impatientiæ nostræ.

VOL. Pudorem excitet, & statuatur melius sequi Christum *in ferendis injuriis, & adversis omnibus.*

COLLOQ. Petendo gratiam à Christo per illam tribulationem, ut possimus deinceps ex amore erga ipsum mansuetè & patienter loqui, & agere cum iis, qui nobis adversantur. **RECOLLECTIO.**

MEDITATIO II.

De Cœnâ ultimâ. Matth. 26. & Joan. 13.

Myst. punct. 2.

CONG. Ut in præcedenti.

PRÆL. I. Quomodo Christus laverit pedes Discipulorum.

PRÆL. II. Conspicere locum.

PRÆL. III. Petere gratiam imitandi humilitatem Christi, & cum eo patiendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Christus *cum accepisset linteum præcinxit se. Joan. 13.*

INTEL. Sic erat *formam servi accipiens. Phil. 2.*
a ccin-

accinctus ad famulandum. REFL. Nos interea formam servi erubescimus.

VOL. Non erubescamus; sed optemus eodem vestitu indui, quo Regem nostrum indutum videmus.

PUNCTUM II. OPERA. MEM. Post lotionem dixit Christus: *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Joan. 13.

INTEL. Expendamus duas illas voces, *Ego & vos*; quis *Christus*? qui *nos*? REFL. Concludemus nos omni ratione obligatos ad faciendum, quod ipse fecit.

VOL. Dicamus cum Petro: *Domine tu mihi lavas pedes? Tu Deus, mihi peccatori.* Domine noverim te, noverim me, ut amem te, & contemnam me.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Lavit Discipulorum pedes etiam Judæ.

INTEL. Perpendamus, quomodo prius opere laverit, quàm dixerit: *Exemplum dedi vobis.* REFL. Discamus prævertere verba opere, ut sicut de Christo, sic de nobis dici possit: *potens in opere & sermone.* Luc. 24.

VOL. Fateamur culpam nostram, qui sæpe dicimus, & tardè, imò interdum nunquam facimus.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Lavit pedes Judæ, tamen Judas manet pertinax, nec convertitur.

INTEL. Consideremus, quanta fuerit Christo hæc crux. REFL. Discamus patientiam, quando fructus non correspondet labori nostro.

VOL. Deinceps quando alii contemnent suasiones & facta nostra, jungamus afflictionem nostram, cum hac Christi cruce: deprecando tamen semper aliorum culpam.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. De Christo dicitur Joan. 13. *sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum.*

INTEL. per hanc scientiam prodebat se Divinitas: nihil tamen prodit vindictæ in Judam.

REFL. Nos interea preni, & prompti sumus ad vindicandum.

VOL. Doleamus, & deinceps oremus *pro persecuentibus & calumniantibus nos.* Matth. 5. Lavemus pedes, & benè eis faciamus.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Redat in memoriam Christus prostratus in genua, ad lavandos pedes ipsius Judæ.

INTEL. Nostra ira, nostra invidia, noster spiritus vindictæ, nostra superbia, sunt causæ Christo, tantæ humiliationis, & afflictionis. REFL. Examine-mus nos in his penitiùs.

VOL. Amemus Regem nostrum, qui, ut curaret illa nostra vitia, tam dira pati dignatur; ex illo amore sequatur intimus dolor & contritio de peccatis: cum proposito emendationis.

COLLOQ. Ad Christum, petendo idem, quod in
Me-

Meditatione *de duobus vexillis*, scilicet desiderio contemptus & opprobriorum.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO III.

De Cœnâ ultimâ. Matth. 26. & Joan. 13.

Myft. punct 3.

CONG. Delibare meditationem, ut supra dictum.

PRÆL. I. Christus post esum agni Paschalis, & lotionem pedum, instituit venerabilem Eucharistiam.

PRÆL. II. Aspicere Cœnaculum, in quo hæc fiebant.

PRÆL. III. Petere devotionem erga hoc Sacramentum, & charitatem erga omnes, ut dignè illud sumamus.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere Apostolos post lotionem pedum accumbentes, ut acciperent Eucharistiam.

INTEL. Omnes erant rectè dispositi & mundi, excepto Judâ, qui juxta communiorem sententiam etiam communicavit. *Vos mundi estis, sed non omnes*. Joan. 13. REFL. Examinemus munditiam nostram, ante communionem.

VOL. Statuamus nos benè disponere ad illum cibum, qui mors est malis, vita bonis. Sequamur monitionem Apostoli. 1. Cor. 11. *Probet autem*

R 5

seipsum

seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem. . . . quotiescumque enim manducabitis &c. mortem annuntiabitis, donec veniat. 1. Cor. 11.*

INTEL. Perpendamus quàm amabilem habemus Regem & Imperatorem: qui amoris sui, quem maximè erga homines in passione exercuit, vult apud omnes perpetuam esse memoriam. REFL. Cogitemus ex hac memoria, argui magnitudinem, vel tenuitatem amoris nostri erga Christum.

VOL. Dicamus: *O memoriale mortis Domini, panis vivus vitam prestans homini; presta menti de te vivere, & te illi semper dulcè sapere. O! Sacrum Convivium &c.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Jesus dixit: *Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum. Matt. 26.*

INTEL. Convertendo panem in Corpus suum substituit veram rem, quæ figurabatur per esum agni Paschalis: & sicut sacrificium agni fuit institutum in memoriam exitus de Ægypto, sic hoc sacrificium institutum est in memoriam exitus Christi ex hoc mundo ad Patrem per acerbissimam mortem. REFL. Hinc patet longè majori reverentiâ accedendum esse ad Eucharistiam, quàm olim ad esum agni Paschalis.

VOL. Doleamus, quòd non satis dignè accedamus.

mus, Præparemus nos diligentissimè ad communionem, & sacrificium.

PUNCTUM. IV. QUID PATIATUR. MEM. Christus dixit : *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo . . . verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensâ.* Luc. 22.

INTEL. Quanta fuit afflictio Christo præsentia tam perditæ proditoris, & simul præscientia plurimum, qui indignè ad hanc mensam accessuri erant : futuri rei *Corporis, & Sanguinis Domini.* 1. Cor. 11. REFL. Examinemus nos, an simus inter illos : saltèm rei non simus languoris in accedendo.

VOL. Doleamus, & emendemus nos ; sed quia Christus non omisit ideò se communicare Judæ, oremus ipsum, ut insculpat cordi nostro illa verba Matth. 5. *Benefacite his, qui oderunt vos.*

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Judas manet pertinax in pessimo consilio.

INTEL. Perpendamus potuisse Divinitatem momento perdere Judam, & Christum liberare ab illâ injuriâ : sed ex amore erga nos non liberavit.

REFL. Nos tamen conamur semper injurias abigere à nobis.

VOL. Dicamus : O Jesu, vicissim ex amore erga te, volo *quàm possum proximè te sequi in ferendis injuriis & adversis omnibus*, idque juxta tertium humilitatis gradum, quamvis par utrimque tua gloria esset.

PUN-

PUNCTUM VI Quid. Nos. MEM. Apprehendamus iterum sensum Christi, ex illâ Judæ obstinatâ malitiâ.

INTEL. *Attritus est, propter scelera nostra.* Isai. 53. REFL Examinemus peccata nostra contra proximum. Nam hæc causa fuerunt, cur tam indigna Christus à Juda passus sit.

VOL. Agnoscamus nos esse causam Christo tantæ tribulationis ; contritione conemur delecte culpam : ut deinceps possimus Deo dicere : *si reddidi retribuentibus mihi mala.* Ps. 7.

COLLOQ Conforme tertio gradui humilitatis, quatenus pertinet ad injurias & ludibria à proximis perferenda. RECOLLECTIO,

MEDITATIO IV.

De mysteriis post cœnam & in horto gestis.

Matth. 26, & Marc. 14.

Myst. punct. 1.

CONG. Manè experrecti &c. ut explicatum Gess.

PRÆL. I. Post cœnam Christus vadit ad montem Oliveti, octo Discipulis manentibus in Gethsemani.

PRÆL. II. Imaginari sibi montem Oliveti, & villam Gethsemani.

PRÆL.

PRÆL. III. Postulare ardentem charitatem erga Deum, & propter Deum erga proximum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Videre Christum cum Discipulis euntem ad montem Oliveti.

INTEL. Consideremus Discipulos plenos metu & tristitiâ. Christum verò Regem, plenum charitate erga Patrem suum & nos, tendentem ad locum proelii. REFL. Hæc charitas est *armatura* Dei quâ debemus nos ipsos etiam armare, ut non timeamus sicut Discipuli. *Nam timor non est in charitate.*

1. Joan. 4. & *perfecta charitas foras mittit timorem.* ibid-

VOL. Humillimè petamus à Deo fructum primum Spiritus Sancti, qui est *charitas*, & donum *fortitudinis*, ut ex amore Dei, & proximi fortiter eamus ad proelia, *adversus insidias Diaboli*, Eph. 6.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus dixit: *sedete hic, donec vadam illuc & orem.* Matth. 26.

INTEL. Jam Principes & Pharisei mala de Christo loquebantur: Christus autem dicit: *detrahebant mihi, ego autem orabam.* Ps. 108. REFL. Nos in talibus casibus malè ad alia solatia confugimus.

VOL. Deinceps verò fugiamus ad Deum in Oratione, *quia tu es Deus fortitudo mea.* Ps. 42.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Dixit Christus: *sedete hic donec vadam illuc, & orem.* Matth. 26.

INTEL. Notemus quid hic agat Christus: Tamquam

quam optimus Dux suis commodiorem stationem dat, & jubet sedere, dum ipse cum paucis pergit ad laboriosam orationem. REFL. Nos vero magis laboriosa ad alios rejicimus.

VOL. Fateamur nobis deesse charitatem, quae *non quarit, quae sua sunt.* 1. Cor. 10. petamus illam.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Recordemur, quod cum undecim tantum ierit absente proditore.

INTEL. Perpendamus quantus sensus fuerit in Christo ita deseriri à Juda cui tot beneficia & amoris signa praestiterat. REFL. Nos quoque peccando, post beneficia tot, deserimus Deum.

VOL. Pudeat nos, & excitemus perfectam contritionem, & Christo compatiamur ex corde.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Jam Judas cum Pharisaeis agebat de modo Christum capiendi.

INTEL. Haec omnia videbat divinitas; sed quod ab aeterno statuerat, volebat opus redemptionis nostrae, re ipsa peragi. REFL. Nos haeremus in prima hominum classe, qui statuunt, & non faciunt.

VOL. Statuamus nos in tertia classe, & renovemus proposita ibi facta.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Pergit igitur Judas in negotio proditionis.

INTEL. Causa, cur Deus hoc permittat, est, ut daret *redemptionem semetipsum pro omnibus.* 1. Tim. 2.

REFL.

REFL. Consideremus, quæ nostræ sint partes, quando hæc cognoscimus.

VOL. Optemus nos quoque agere, & pati Christi causâ, qui ita dilexit nos.

COLLOQ. Conforme meditationi de tribus hominum classibus.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO V.

De mysteriis post cœnam & in horto gestis.

Matth. 26. & Marc. 14.

Myft. punct. 2.

CONG. Dum surgimus, ad Christo compatendum, nos incitare, sicut supra dictum est.

PRÆL. I. Christus ductis secum tribus Discipulis, in agoniâ prolixius orat, ter idem dicens.

PRÆL. II. Inspicere locum orationis.

PRÆL. III. Petere gratiam, ipsius exemplo, bene orandi, & patiendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere Christum in terram prostratum ad orandum. *Procidit in faciem suam orans.* Matth. 26.

INTEL. Docemur hic reverenter orare. REFL. Patet, quid nos deceat peccatores, dum oramus.

VOL. Nos quoque prostrati ducamus cum Abraham. Gen. 18. *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.*

PUN-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus orat: *tra-*
seat à me calix iste: verumtamen non sicut eg-
volo, sed sicut tu. Matth. 26.

INTEL. Perpendamus illam resignationem. **REFL.**
Nos hæremus in secunda classe hominum, volen-
tes. *Deum potius trahere ad votum proprium.*

VOL. Excitemus affectus proprios tertiæ classis

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus post pri-
mam orationem, *venit ad discipulos suos &*
invenit eos dormientes. Matth. 26.

INTEL. Interrupit orationem, ut suos visitaret.
REFL. Nos quoque ex charitate decet orationem
interrumpere interdum.

VOL. Excitemus actum charitatis erga proxi-
mum, eamque ordinatam. *Ordinavit in me cha-*
ritatem. Cant. 2.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Christus
factus in agoniâ prolixius orabat. Luc. 22.

INTEL. Æstimemus magnitudinem doloris, ex
cognitis injuriis præsentibus, & tormentis usque
ad mortem futuris; unde jam nunc versatur in
agoniâ. **REFL.** In tot meditationibus agnovimus
illum pro Duce & Rege nostro; cogitemus igitur
quid nobis hic debeat esse animi.

VOL. Testemur hunc esse animum nostrum, hoc
desiderium libenter cum Christo, & ex amore
Christi pati. *Christus passus est pro nobis, vobis re-*
linquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.
1. Pet. 2.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. *Apparuit, autem illi Angelus de Cælo confortans eum* Luc. 2.

INTEL. Divinitas hunc Angelum misit, ut confortaret, non ut liberaret à passione. **REFL.** Nos vellemus liberari sæpe à patiendo, non tantùm confortari.

VOL. Iterum hîc exerceamus nos in tertia classe hominum.

PUNCTUM IV. QUID NOS. MEM. *Redeat in memoriam agonia.*

INTEL. *Causa tanti doloris fuit, ut peccatis mortui, Justitia vivamus.* I. Pet. 2. **REFL.** Cogitemus quid nos peccatores facere debeamus, quando ipse pro peccatis nostris tanta patitur.

VOL. Per veram pœnitentiam interiorem satisfaciamus, & etiam per exteriorem pro peccatis nostris, & patiamur cum illo, *qui peccatum non fecit.* I. Pet. 2.

COLLOQ. Conforme meditationi de tribus hominum Classibus. **RECOLLECTIO.**

MEDITATIO VI.

De mysteriis post Cœnam, & in horto gestis. Matth. 26. &. Marci 14.

Myft. punct. 3.

CONG. Ut fit in hac hebdomada.

PRÆL. I. Quomodo Christus, existens in agnitiâ sudaverit sanguinem.

PRÆL. II. Mente intrare in hortum, & illum circumspicere.

PRÆL. III. Petere gratiam veræ poenitentia, et consideratione tantorum Christi dolorum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Conjicere licet,* inquit S. P. Noster, *vestimenta ejus jam tum fuisse madefacta cruore.*

INTEL. Contemplemur igitur Christum veste cruentatâ indutum; & meminerimus hanc conditionem militantibus sub ejus vexillo esse propositam; ut non alio utantur vestitu, quàm quo Regem suum utentem conspexerint. **REFL.** Videamus an juxta *Reg. Summ.* 11. iisdem Regis nostri insignibus indui parati simus.

VOL. Non modò nos paratos ad id offeramus; sed etiam insignia illa eligamus sive æqualis, sive major Dei gloria id requirat.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Matt 26.

INTEL. Perpendamus magnitudinem istius tristitiæ, quæ erat *usque ad mortem.* REFL. Sciamus tantæ tristitiæ causam dedisse peccata nostra; atq; illa nominatim, quæ oriuntur ex defectu indifferentiæ, erga sanitatem & ægritudinem, erga longam vel brevem vitam.

VOL. Magno animo offeramus nos indifferenter ad utrumque non solum ex rationibus, quas in Fundamento consideravimus; sed etiam ex amore erga Christum, qui nostrâ causâ tantam tristitiam passus est.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus voluit Petrum, & duos filios Zebedæi vigilate secum: *Sustinete hîc, & vigilate mecum.* Matth. 26.

INTEL. Hoc est, quod Rex noster sequentibus se proposuit: *In iisdem quoque . . . vigiliis . . . mecum persistendum erit.* REFL. Perpendamus, an Christus non possit nobis exprobrare idem, quod Petro: *Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum?* Matth. 26.

VOL. Offeramus nos toto corde ad vigilandum cum Christo. Nos ipsi exprobremus nobis ignaviam nostram, quòd Rege nostro vigilante, nos dormiamus.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Christus tristis erat *usque ad mortem*; ita ut sudor sanguineus fuerit expressus.

INTEL. Verè dicere poterat Christus illud Thronor. I. *Videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Nam quis vidit tantum dolorem, qui sanguinem exprimeret? REFL. Hinc concludamus, quàm immeritò conqueramur de doloribus & angustiis nostris interioribus.

VOL. Compatiamur Christo, & cum illà ipsius tristitiâ, jungamus interiores desolationes & tribulationes nostras.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Recordemur & observemus, quòd nullum miraculum hîc appareat, quo Christus liberetur à tantâ tristitiâ.

INTEL. Meritò dicere poterat: *Torcular calcavi solus.* Isa. 63. Torcular illud, quod sanguinem expressit: solus, etiam sine adiutorio ad liberandum Divinitatis: nisi quòd miraculo sustentarit me, ne sub agonia morerer, ut plura paterer. REFL. Nos post tale exemplum Imperatoris nostri, conquerimur, quòd miraculo à tribulatione nostrâ non liberemur.

VOL. Clamemus nos potiùs cum S. F. Xaverio: *Ampliùs Domine, ampliùs.*

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Respiciamus iterum Christum tristem, & sanguinem sudantem.

INTEL. Cogitemus horum omnium causam esse peccata nostra, quorum proinde malitia necesse est quodammodo infinita sit. REFL. Consideremus

mus quæ nostræ sint partes, quidve tantæ in nos misericordiæ rependere debeamus.

VOL. Christus pro peccatis nostris sanguinem sudavit: Nostrum saltèm est lacrymis stratum nostrum rigare. Dicamus proinde: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte?* Jerem. 9.

COLLOQ. Ad Christum petendo gratiam perfectæ contritionis: & perfectæ humilitatis juxta tertium gradum, ut sic tanto amori aliquatenus respondeamus.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO VII.

De comprehensione Christi, & traductione ad Annæ domum. Matth. 26. Luc.

22. Marc. 14. Joan. 18.

Myst punct. 1.

CONG. Ut supra.

PRÆL. I. Quomodo permiserit se Christus osculo tradi: postquam verbo hostes prostraverat.

PRÆL. II. Speculari locum comprehensionis.

PRÆL. III. Petere gratiam patientiæ, benignitatis, & mansuetudinis in compatiendo Christo.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Ecce Judas unus de duodecim venit & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus.* Matth. 26.

S 3

In-

INTEL. Aspiciamus Christum in medio istorum luporum, juxta illud Matth. 10. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*; sed contemmur in Christo prudentiam & simplicitatem, juxta id, quod ibidem additur: *Estote ergo prudentes, sicut serpentes & simplices sicut columbae.*

REFL. Comparemus nostram prudentiam & simplicitatem (quæ virtutes præcipuè consistunt in donis & fructibus Spiritus Sancti) cum illâ prudentiâ, & simplicitate Christi.

VOL. Confiteamur, tum inter Adversarios sumus, nos non tamquam oves; sed subinde tamquam canes rabidos & lupos inter eos versari, & procul à nobis abesse illam prudentiam & simplicitatem. Doleamus de nostra impatientiâ, irâ, pusillanimitate &c. decernamus meliora.

PUNCTUM, II. VERBA. MEM. Christus dixit: *Tamquam ad latronem existis.* Luc. 22.

INTEL. Illa verba, quæ designant, quantum sui contemptum, quanta opprobria Christus innocens passus sit, docent nos, quòd cum Rege nostro etiam tamquam malefactores reputari debeamus, innocenter tamen. REFL. Examinemus, an juxta tertium humilitatis gradum optemus potius cum Christo sic vilipendi, quàm æstimationem hominum de nobis habere.

VOL. Agnoscamus, & deploremus insipientiam, & infirmitatem nostram; & affectus tertii modi humilitatis cum fervore excitemus.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Permisit se Christus osculo à Judâ tradi, capi, ligari, &c.

INTEL. Ratiocinemur nobis hîc repræsentrari imaginem & speciem quamdam Negotiorum hujus mundi, qui plenus est osculis, & signis falsæ amicitiae; in quo innocentes persecutionem patiuntur propter justitiam: unde Christus dixit, Joan. 15. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* & Apost. 2. Tim. 3. *Et omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.*

REFL. Videamus, an nos quoque parati simus ad talia cum Christo patienda; an verò ut fraudes, & odia mundi fugiamus, non interdum ad vexillum diaboli respiciamus.

VOL. Abominemur vexillum Diaboli, eligamus potius cum Christo, tradi, capi, ligari &c. imò faciamus quod Christus Matth. 10. nos docuit: *Cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint... gaudete & exultate.* non tantum gaudeamus, sed & exultemus.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Aspiciamus Christum jam ligatum, raptum à militibus, &c.

INTEL. Perpendamus quantum patiatur in brevitate vitæ. Nam sciebat se in mortem rari. Quantum in ægitudine & doloribus, quos jam nunc sentiebat, ex violentiâ illâ captivitate & vinculis: quantum in paupertate; nam spoliabatur omnibus, ab ipsis quoque Discipulis desertus: quantum denique in contemptu, qui instar latronis raptabatur. **REFL.** Comparemus cum his, quidquid hæcenus passi sumus.

VOL. Compatiamur Christo; etiam, si possimus, lacrymas fundendo præ dolore, & pudore, quòd tam procul absumus ab ejus vestigiis.

PUNCTUM. V. QUID DIVINITAS. MEM. Cogitemus, quomodo omnes illi milites ad solam Christi vocem: *Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Joan. 18.

INTEL. Ratiocinemur, quàm verum sit illud Isa. 53. *oblatus est, quia ipse voluit.* Nam qui verbo poterat hostes suos omnes profligare, is sanè liberrimè se permisit capi, ligari, &c. **REFL.** Nos verò, quando liberum nobis est, vanum mundi gaudium amplecti, vel Christi crucem, eligimus sæpe vanitatem præ cruce.

VOL. Doleamas de perversâ nostrâ electione, & eligamus potiùs cum Christo adversa pati juxta tertium humilitatis modum.

PUNCTUM. VI. QUID NOS. MEM. Simul uno quasi obtutu intueamur, quæ Christus in hac comprehensione est passus.

INTEL. Perpendamus hæc omnia ipsum esse passum propter nos, propter peccata nostra, & amore erga nos. **REFL.** Cogitemus quid nobis faciendum sit, ut tanto amoris respondeamus.

VOL. Rependamus amorem mutuum, quantum possumus, doleamus de peccatis, & per tertium humilitatis modum nos totos Christo devoveamus.

COLLOQ. De tribus modis humilitatis.

RECOLLECTIO.

ME-

MEDITATIO VIII.

De comprehensione Christi, & traductione ad Annæ domum, Matt. 26. &c.

Myſt. punct. 2.

CONG. Ut in hac hebdomada.

PRÆL. I. Quomodo Christus sanaverit servi auriculam.

PRÆL. II. Aspicere situm horti, ubi hæc acta sunt.

PRÆL. III. Petere gratiam imitandi Christum, benefaciendo his, qui oderunt nos.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Videamus uno quasi obtutu, post Judæ osculum Tribunum & Ministros, comprehendentes, & manus injicientes in Jesum; Petrum percutientem & abscindentem Malcho auriculam, Discipulos fugientes, alios tenentes & ligantes Jesum.

INTEL. Consideremus hæc omnia, tamquam speciem quamdam hujus mundi, in quo semper sunt fraudes, & seditiones, proditiones, pugnæ, &c. in quo Justus patitur persecutionem, opprimitur, deseritur, &c. *Mundus totus in maligno positus est.* 1. Joan. 5. REFL. Tempora vitæ nostræ percurramus. Nos ipsi veritatem hanc viderimus, & experti fuerimus, in Regnis, in Provinciis, in Familiis, &c.

VOL. His inspectis, juxta hebd. I. statuamus per-

S S

pecta.

spectâ, & damnatâ mundi pravitate, à rebus mundanis, ac vanis nos recipere.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus dixit Petro: *Mitte gladium tuum in vaginam.* Joan. 18.

INTEL. Christus prohibet his verbis, ne sua passio retardetur, impediatur, avertatur. Ideò addit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Hæc est perfecta imago tertiæ hominum Classis. **REFL.** Consideremus, quantum ab ipsâ absumus.

VOL. Resumamus optima desideria, & affectus proprios tertiæ hominum Classi.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus, *cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.* Luc. 22.

INTEL. Sic Christus opere implevit illud, quod dixerat Matth. 5. *Benefacite his, qui oderunt vos.* **REFL.** Respiciamus nos ipsos, quàm parùm hujus virtutis in nobis sit.

VOL. Fateamur infirmitatem, & malitiam nostram; anhelemus ad magnam Dei gratiam, ut in hac virtute proficiamus.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Iterum totum illud spectaculum occurrat oculis nostris.

INTEL. Ratiocinemur, quòd post tot beneficia Judæ, & Malcho præstita: post exempla tantæ mansuetudinis, aliarumque virtutum, pergunt tamen tamquam latronem eum ligare, &c. Sanè indignitas hujus rei, debuit incredibilem Christo afferre

afferre dolorem. REFL. Quid sunt injuriæ, quas nos patimur, si comparentur cum hisce?

VOL. Quotiescumque nobis aliquis dolor in genere hoc oboritur, convertamus nos ad Christum, & audiamus eum dicentem: *Videte si est dolor, sicut dolor meus.* Thren. 1. & libenter cum Christo patiamur.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Verbo prostravit hostes, Malchum sanavit. Potest exhibere Christo *plusquam duodecim Legiones Angelorum.* Matth. 26.

INTEL. Divinitas ostendit se posse; sed non vult Christus liberari, usque adeò verum est illud: *Ob-latus est, quia ipse voluit.* Isa. 53. REFL. Nos verò nolentes patimur, & offerimur.

VOL. Nos potius renovemus affectus tertii modi humilitatis, & quamvis gloria Dei par esset, eligamus, & velimus potius cum ipso pati quàm crucem evitare.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Tota hæc scena comprehensionis Christi iterum ante oculos ponatur.

INTEL. Perpendamus hæc omnia passum esse Christum, propter peccata nostra, ac nominatim illa, quæ sunt contra mansuetudinem, benignitatem, dilectionemque erga inimicos. REFL. Recenseamus in nobis illa peccata, impatientiæ, odii, vindictæ, &c.

VOL. Effundamus nos totos in actus charitatis
erga

erga Christum, qui ex charitate erga nos tanta passus est, propter illa nostra peccata. De his excitemus contritionem, deinceps optemus talia pati & agere cum ipso benefaciendo illis, qui oderunt nos.

COLLOQ. Tertii modi humilitatis.
RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO IX.

De comprehensione Christi, & traductione ad Annæ domum. Matt. 26, &c.
Myst. punct. 3.

CONG. Instantem meditationem delibare, sicut ante explicatum est.

PRÆL. I. Quomodo Christus ductus sit ad Annæ domum, à Petro negatus primâ vice, a lapâ percussus, & alia, quæ in illa domo dicta & facta sunt.

PRÆL. II. Aspicerè Annæ domum, & viam ex horto ad ipsam.

PRÆL. III. Petere gratiam cognoscendi & imitandi exempla virtutum, quæ Christus ibi exhibuit: nominatim in perferendis opprobriis & injuriis, & in humilitate.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Christum ad Annæ domum trahi, derelictum à Discipulis, Petro sequente à longè.

INTEL. Perpendamus Christum sic derelictum, fuisse

fuisse quodammodo descriptum Ps. 87. ubi legitur: *Longè fecisti notos meos à me.* REFL. Nos exemplo hoc docemur, non esse fidendum hominibus quamvis multa promittentibus. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Jer. 17.

VOL. Fiduciam totam nostram collocemus in Deo: *Bonum est considerare in Domino, quàm considerare in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus.* Ps. 117.

PUNCTUM, II. VERBA. MEM. Respondit ei Jesus: *si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cedis?* Joan. 18.

INTEL. Hæc dixit Jesus Ministro, qui reprehenderat Jesum; *dicens: sic respondes Pontifici?* Joan. 18. Diluit igitur accusationem Christus, ne alii credant ipsum irreverenter fuisse locutum Pontifici. REFL. Docemur interdum respondendum esse injuriis; sed mansuetè; ne scilicet silentium aliis sit causa scandali.

VOL. Accusemus nos ipsos, quod sæpè respondeamus, quando respondendum non est; & si respondendum est, quod id faciamus nimis multis, & acerbis verbis. *Respondebo exprobrantibus mihi verbum,* inquit David Ps. 118. hoc est, paucis, non contendendo multis. Applicemus nobis quoque illud Ps. 101. quamvis non in eodem planè sensu: *Respondit ei in viâ virtutis sue.* Et Exemplo Christi, sic respondeamus, ut maneamus in viâ virtutis, patientiæ scilicet, mansuetudinis, benignitatis. &c.

PUN-

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Petrus ad voce Ancillæ ostiariæ negavit se esse Discipulum Christi, dicens: *non sum.* Joan. 18.

INTEL. En Petrus sive Petra, & fundamentum Ecclesiæ, tam miserè labitur, & tam turpe committit peccatum, postquam dixerat: *etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Matth. 26.

REFL. Discamus hinc, quod non aliis tantum, sed etiam nobis ipsis non fidendum.

VOL. Humiliemus nos ipsos, diffidentes nobis, & oremus: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Ps. 6. *Non enim in arcu meo sperabo.* Ps. 43. hoc est, in meis viribus.

PUNCTUM. IV. QUID PATIATUR. MEM. *Unus assistens Ministrorum dedit Alapam Jesu.* Joan. 18.

INTEL. Sive percutientem, sive percussum, sive cætera consideremus; hæc injuria est, tam enormis, ut tanta inter homines excogitari non possit.

REFL. Comparemus ea, quæ nos patimur cum hac alapâ.

VOL. Compatiamur Christo, qui passus est, quod nobis debebatur. *Domine nobis confusio faciei... & patribus nostris, qui peccaverunt. Tibi autem Domino nostro Misericordia.* &c. Dan. 9.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Convertamus mentem ad Divinitatem hæc omni permittentem.

INTEL. Divinitas in horto ostenderit miraculo non uno, quomodo posset momento omnes illos ad-

adversarios perdere : permittit tamen humanitatem tam atrociam pati. REFL. Hinc patet, quod nos quoque multa constanter debeamus pati, quamvis nonnunquam vitare illa possimus.

VOL. Confugiamus ad tertium humilitatis modum nosque Christo in hoc assimilemus.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Intueamur Christum a lapâ illâ deformatum.

INTEL. Quandoquidem Divinitas potuerit omni momento iniquos illos perdere, constat solam charitatem erga nos peccatores causam fuisse, permissæ tam injuriosæ alapæ. REFL. Cogitemus an rationis compos sit, quem tanta charitas non movet ad reciprocam charitatem.

VOL. Pudeat nos, quod aliud cogitaverimus, vel amaverimus, quàm hunc nostrum Redemptorem. Totos nos illi immolemus in igne reciprocæ dilectionis : quæ haud dubiè deducet nos ad affectus tertii modi humilitatis.

COLLOQ. De tribus modis humilitatis.

RECOLLECTIO.

MEDI-

MEDITATIO X.

De gestis postea in domo Caiphæ. Matt. 26.
Myst. punct 1.

CONG. Conveniens huic hebdomadæ.

PRÆL. I. Quomodo Petrus rursus negavit
bis Christum, ac dein pœnitentiam egerit.

PRÆL. II. Conspicari domum Caiphæ.

PRÆL. III. Petere, ut passio Christi nobis profit
ad peccatorum medelam, & ad pœnitentiam.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Jesum duxerunt
ad Caipham Principem Sacerdotum, ubi scribae
& Seniores convenerant.* Matth, 26.

INTEL. Consideremus innocentiam, & Sancti-
tatem, Christi stantis coram illis tamquam Judici-
bus, qui sub vexillo diaboli militabant, pleni car-
nis, sensuum, amoris proprii, & mundani rebellio-
ne, ligati cupiditate divitiarum, & honoris,
tamquam laqueis, & catenis. REFL. Cogitemus
nos, si paupertatem, & humilitatem Christi secte-
mur, etiam expositos esse ejusmodi iudicibus,
quorum mundus plenus est.

VOL. Amplectamur cum summo affectu cru-
cem, & humilitatem Christi, nec terreamur iudi-
ciis ejusmodi hominum: sed dicamus cum Apосто-
lo 1. Cor. 4. *Mibi autem pro minimo est, ut à vo-
bis judicer.*

Pun-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Petrum bis negantem, se nosse Christum, *tunc capit deestari, & jurare, quia non novisset hominem.* Matth. 26.

INTEL. Causa tam fœdi lapsûs Petri fuit, quia *honorem contemptui, vitam longam brevi prætulit*: quia ne in primo quidem erat gradu humilitatis. **REFL.** Cogitemus quoties nos quoque ex simili causâ lapsi fuerimus.

VOL. Eliciamus affectus proprios primo, & secundo modo humilitatis.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Et conversus Dominus respexit Petrum... & egressus foras Petrus flevit amarè.* Luc. 22.

INTEL. Ex his patet, fortitudinem & constantiam, *gratuita esse Dei dona: quæ si vendicemus nobis ut propria, superbia, & vana gloria crimen, non sine salutis gravi periculo incursumus.* Reg. 9. hebd. 1. disc. spir. **REFL.** Inveniemus nos quoque sæpius multa Christo in oratione addixisse, ac deinde levissimas ob causas, fidem fefellisse.

VOL. O! Utinam Dominus conversos respiciat quoque nos! Utinam, exeamus cum Petro foras, ex Aula, & strepitu mundano, & fleamus amarè peccata nostra! O! *Jesu respice in me, & miserere mei.* Psal. 24.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Aspiciamus Christum antè ab aliis Discipulis derelictum; tandem etiam à Petro tam turpiter negatum.

T

IN-

INTEL. Ratiocinemur hanc Petri negationem tam foedam, & tam turpem Evangelii erubescensiam, fuisse causam gravissimi sensûs in Christo. REFL. Si comparemus cum hac injuria, illud, quod nos interdum patimur, dum homines fallunt nobis datam fidem, quasi nihil reputabitur.

VOL. Optemus etiam ex amore erga Christum ejusmodi injurias pati; deprecando tamen culpam aliorum: & Christo ex toto corde compatiamur.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Intuemur Christum egresso Petro, jam solum in medio hostium.

INTEL. Dicere poterat Christus: *Tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens, & rugiens.* Ps. 21. Interea manet divinitas abscondita, & tam indigna permittit pati humanitatem. REFL. Et nos in tribulatione optaremus citò liberari, & quasi conquerimur nos deseri à Deo.

VOL. Componamus nos deinceps ad patientiam Christi atque ipsi adhærentes dicamus: *non timebo millia populi circumdantis me.* Ps. 3. *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Ps. 31. Animos igitur accipiam ab exemplo Christi, quando *consilium malignantium obsedit me.* Ps. 21.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Aspiciamus Christum in medio Concilii malignantium, & Petrum foris flentem.

INTEL. Hi sunt labores, & casus, in quibus persistendum est illis, qui Christum comitari volunt. **REFL.** Concludamus nos etiamnum procul abesse à vestigiis Christi; & tamen toties protestati sumus, quod proximè velimus ipsum sequi.

VOL. Saltem nos miseri peccatores eamus foras cum Petro, & fleamus amarè. Fundamus lacrymas doloris de peccatis nostris; lacrymas compassionis, & amoris erga Christum, qui tanta passus est pro nobis. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?* Jerem. 9.

COLLOQ. Conforme hebdomadæ primæ.
RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XI.

De gestis postea in domo Caiphæ.

Matth. 26. Myst. punct. 2.

CONG. Ut solet in hac hebdomadâ.

PRÆL. I. Quomodo Christus permanse-
rit ligatus totâ illâ nocte.

PRÆL. II. Imaginari sibi locum, in quo Christi
erat ligatus.

PRÆL. III. Petere gratiam, ut participes fia-
mus vinculorum Christi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Chri-
stum inter satellites ligatum.

INTEL. Perpendamus Christum per illa vin-
cula privatum libertate, constrictum, & impedi-

tum, ne huc vel illuc liberè se conferat. REFL. Nos intereâ abutimur libertate nostrâ, eundo ad res fini creationis contrarias, *prout libertati arbitrii nostri subjectæ sunt.*

VOL. Dolorem eliciat de malo ejusmodi usu libertatis; & gratias agat, quod aliquatenus saltem similes Christo facti simus, per vincula votorum nostrorum.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum tacitè quasi dicentem: *funes peccatorum circumplexi sunt me.* Ps. 118.

INTEL. Intelligamus benè veritatem hanc: quia nisi homines peccassent, non sic fuisset ligatus. REFL. Recenseamus peccata nostra, ut sciamus, quanta simus pars illorum Christi vinculorum.

VOL. Contritionem excitemus, quod tam amabilem Regem nostrum tam diris vinculis ligaverimus.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Permanisit ligatus totâ illâ nocte.

INTEL. Meminerimus nos in Contempl. Regni Christi, invitatos fuisse, ad sequendum Regem nostrum in *vigiliis.* REFL. Cogitemus quàm procul absimus ab hac sequelâ.

VOL. Offeramus nos ad vigiliis, sive Regularum, sive charitatis erga proximum vinculis constricti ad illas obligemur.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Intueamur iterum Christum ligatum totâ nocte.

INTEL. Perpendamus quàm laboriosa fuerit nox illa; tum propter vigilias, tum propter vincula; idque tam longo tempore. **REFL.** Cogitemus, an Christus jure non possit exprobrare nobis: *Sic non potuisti unâ horâ vigilare mecum.* Matth. 26.

VOL. Pudeat nos, id verò saltem agamus, ut dicere possimus: *DEus DEus meus ad te de luce vigilo.* Ps. 62.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. A Christo ligato oculos non avertamus.

INTEL. Ratiocinemur Divinitatem etiam esse quasi ligatam: adeò se non exerit, ex quo cognoscimus constantiam Christi in suscepto labore, cum possit se momento eximere. **REFL.** Nos verò labores, & dolores statim conamur excutere.

VOL. Revera ignavi milites sumus, & inconstantes sub vexillo Regis tam fortis: Aspiremus ad donum fortitudinis, & constantiæ in sequendo Christo; etiam si possumus interdum nos ipsos liberare: Si modò sit major aut æqualis ejus gloria, sic permanere.

PUNCTUM VI QUID NOS. MEM. Puncta præcedentia simul revocemus in memoriam.

INTEL. Tum consideremus, Christum tamquam Regem, & homines fideles tamquam milites sub vexillo ejus merentes: & inquiramus quid deceat milites tales agere aut pati. **REFL.**

Concludamus nihil decentius, nihil melius, nihil quod tanto amoris beneficio à Rege Deo in nos collato aptius respondeat, excogitari posse, quàm tertium modum humilitatis.

VOL. In tertium igitur humilitatis modum totos nos, non tantum in unâ meditatione, sed in pluribus, atque adeò quamdiu vivimus, effundamus: nihil enim perfectius inveniri potest.

COLLOQ. De tribus modis humilitatis.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XII.

De gestis postea in domo Caiphæ. Matth. 26. Myst. punct. 3.

CONG. Delibare instantem meditationem.

PRÆL. I. Quomodo Christus illâ nocte fuerit colaphis cæsus, & oculi ejus velati.

PRÆL. II. Locum illum in domo Caiphæ intuituri.

PRÆL. III. Petere gratiam tertii modi humilitatis, nominatim in opprobriis.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Cæperunt velare faciem ejus. Marc. 14. & velaverunt eum. Luc. 22.*

INTEL. Contemplemur ergo Christum habentem oculos velatos: idque ideò, quia homines habent oculos nimis apertos ad res vanas, & temporales,

porales, quibus mens abstrahitur à suo Creatore.
REFL. Idcirco nobis in hebd. 1. Addit. 7. bene
præscribitur, ut nos privemus omni lucis clari-
tate; ut oculos mentis ad hæc Myſteria magis
aperiamus.

VOL. O, Deus *averte oculos meos, ne vide-
ant vanitatem.* Pſal. 118. Sed *sint oculi mei sem-
per ad Dominum.* Pſal. 24.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus *dicen-
tes: prophetiza, quis est, qui te percussit?*
& *alia multa blasphemantes dicebant in eum.*
Luc. 22.

INTEL. Sive personas blasphemantes, sive
eum, in quem blasphemia fertur, sive ipsam blas-
phemiam consideremus, atrocissimæ sunt inju-
riæ. REFL. Cogitemus, quàm procul abſimus à
proximâ Christi imitatione: qui propter Chri-
stum vix ullum injuriosum verbum umquam per-
tulimus.

VOL. Offeramus nos, imò desideremus Chri-
sto in similibus, saltem aliquatenus fieri similes.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Tunc expuerunt in
faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt; alii
autem palmas in faciem ejus dederunt.* Matt. 26.

INTEL. Audivimus verba injuriosa: nunc
latuemur opera injuriosa; ex quibus concludere
possumus, quod illa fuerit nox, de qua prædictum
fuit, quod Christus *Saturabitur opprobriis.* Thren.
3. REFL. Comparemus quidquid opere nobis in-
juriae illatum est, cum hisce opprobriis, & injuriis.

VOL. Pudeat nos, quod ex charitate erga Christum tam pauca passi sumus, idque animo tam reluctante: Statuamus nos in tertiâ hominum classe, neque Christum verbis tantum; sed ipso etiam opere sequi statuamus in ferendis injuriis.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Repræsentemus nobis simul, & vincula, & blasphemias, & injurias quas Christus illâ nocte passus est.

INTEL. Ratiocinemur, quod sine commiserationis affectu, in quovis homine hæc videri vix possint à quocumque, qui omnis humanitatis expertus non est. **REFL.** Cogitemus deinde qualis sit Christus, qui patitur; quales illi, à quibus patitur; quales nos, pro quibus patitur.

VOL. Accusemus duritiem cordis nostri: oreremus Deum, ut fiat, quod ipse dixit Ezech. 36. *Auferam cor lapideum de carne vestrà, & dabo vobis cor carneum.*

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Cogitemus hæc omnia patrari ab illis blasphemis nemine impediante.

INTEL. Sic divinitas se abscondit, ut Christus patiatur, prout prædictum fuit in Scripturis. **REFL.** Meminerimus etiam nobis à Christo prædictum esse, *si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Joan. 15. Neque adeò mirum esse, si in persecutione nostrâ divinitas se etiam quasi abscondat.

VOL. In adversis, in persecutionibus, in injuriis,

riis, offeramus nos totos Divinæ providentiæ;
nec statuamus ei tempus liberationis nostræ.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Iterum uno
quasi aspectu totam mysterii hujus passionem
intueamur.

INTEL. Perpendamus illud Isa. 53. *Attritus est
propter scelera nostra.* REFL. Propria nostra sce-
lera hîc recenseamus, ob quæ Christus ita attri-
tus fuit.

VOL. Contritionem de omnibus excitemus,
& ex amore erga Christum, amplectamur ter-
tium humilitatis modum; & optemus participes
feri tam laboriosæ noctis.

COLLOQ. Tertii gradus humilitatis.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XIII.

De Christi apud Pilatum accusatione.

Matth. 26. Luc. 23. Marc. 15. & Joan. 18.

Myst. punct. 1.

CONG. More consueto.

PRÆL. I. Coram Pilato accusatur falsò,
quod subverteret gentem, & prohiberet tributa
solvi Cæsari.

PRÆL. II. Aspicere domum Pilati, ubi hæc
gerebantur.

PRÆL. III. Petere gratiam, ex amore Christi
patiendi accusationes, etiam falsas.

T S

PUN-

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Jesum stantem vinctum coram Præsede Pilato.

INTEL. Hactenus Christus comparuit coram Judicibus Ecclesiasticis, nunc coram Sæculari, & Gentili: Sed eodem tempore spectaculum erat Angelis, & toti curiæ Cœlesti. REFL. Sic nos dum expositi stamus judiciis hominum, memores debemus esse, quod simus magis expositi iudicio Dei & Cœlitum.

VOL. Dum stamus expositi hominum iudiciis: convertamus oculos mentis ad cœlestelud tribunal: & dicamus: *Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas justè & probas renes, & corda.* Jerem. 11. & sic non curemus iudicia hominum, ex amore ejus, qui *tradebat . . . iudicanti se injuste.* 1. Petr. 2.

PUNCTUM II. OPERA. MEM. *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cesari.* Luc. 23.

INTEL. Expendamus falsitatem hujus calumniæ. *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.* Eccl. 7. Sed non conturbabat Christum, quia quiescebat super illum Spiritus Domini. REFL. Nos tam facilè turbamur, qui statim deficit in nobis *Spiritus sapientia, intellectus, consilii, fortitudinis, &c.*

VOL. Fateamur cœcitatem & infirmitatem nostram: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* Psal. 6.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Et confestim manè... vincientes Jesum, duxerunt & traderunt Pilato, Marc. 15.*

INTEL. Verè dicitur de illis Judæis: *Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*

PSAL. 13. REFL. Judæi illi diligentiores, velociores, magis matutini erant ad exequenda opera mala, quàm nos ad bona.

VOL. Pudeat nos tantæ socordiæ, excutiamus illam ignaviam, *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Psal, 62.*

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Meminerimus viæ ex domo Caiphæ ad Prætorium Pilati; & eorum, quæ Christus in eâ passus est; nominatim calumniæ coram Pilato.

INTEL. Coram Caipha traducitur, tamquam blasphemus; coram Pilato tanquam seditiosus.

REFL. Nos toties dicimus: quod proximè velimus premere vestigia Regis nostri; intereà omittimus obsequia ipsius ex timore minimæ interdum calumniæ.

VOL. Agnoscamus nos hæere in primâ, vel secundâ hominum classe: sed ad tertiam ascendamus, & gratias Deo agamus, quando cum Rege nostro re ipsa possumus aliquid convitii & calumniæ pati.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Circumspiciamus, an ullum appareat exterius signum in tam sceleratos.

INTEL. Adeò se occultabat divinitas, ut ipse quoque humanitas omitteret defensionem omnem: nam Christus *cum accusaretur... nihil respondit.* Matth. 27. REFL. Nos verò ad minimam accusationem tam effusi sumus ad respondendum.

VOL. Dicamus coram Deo culpam nostram & dum accusamur deinceps memores simus huius silentii Christi: & illud, quantum possumus imitemur.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Recenseamus & revolvamus calumnias & convitia, quae Christus passus est in hoc mysterio.

INTEL. Ratiocinemur, causam cur illa passus sit, fuisse misericordiam ejus, *quoniam Deus prior dilexit nos.* 1. Joan. 4. REFL. Hinc concludamus qualis debeat esse reciproca dilectio nostra, & cogitemus, qualis fuerit.

VOL. Excitemus actum perfectæ contritionis, & sic effundamus nos in affectus tertii modi humilitatis.

COLLOQ. De tertio gradu humilitatis: nominatim animum advertendo ad convitia & calumnias.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDI-

MEDITATIO XIV.

De Christi apud Pilatum accusatione.

Matth. 26. Luc. 23. Mar. 15. & Joan. 18.

Myft. punct. 2.

CONG. Cogitatione passionem Christi delibare.

PRÆL. I. Quomodo Pilatus testatus sit Christi innocentiam.

PRÆL. II. Aspiciere Prætorium Pilati.

PRÆL. III. Petere gratiam sequendi Christum in opprobriis, nulla datâ à nobis causâ.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus, dum Jesus staret ante Præsidentem, Judæos stantes foris: *ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Joan. 18.

INTEL. Benè dictum fuit illis. Matth. 23. *Vos à foris quidem paretis hominibus justî, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.* Nam pleni erant invidiâ, & odio erga Christum. REFL. Examinemus, an simile quid inveniatur in nobis.

VOL. Salutarem timorem hujus vitii concipiamus coram Deo, qui est *scrutans corda, & renes.* Psal. 7.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Pilatus dixit Judæis: *Ego nullam invenio in eo causam.* Joan. 18.

INTEL. Revera Christus nullam mortis, nullam odii

odii in se causam dederat. REFL. Hinc discamus nullam contemptui de nobis, &c. dandam esse causam, *ne contemptus mei, tam in alicujus detrimentum, quàm in offensam Dei cedat.*

VOL. Ità deinceps vivamus, ut semper de nobis dici possit, præsertim in horâ mortis à Judice supremo: *ego nullam invenio in eo causam,* & juxtâ Reg. Summ. II. optemus contemptum, &c. *nullâ tamen ad id... datâ occasione.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Dixit ei Pilatus: quid est veritas? & cum hoc dixisset, iterum exiit.* Joan. 18.

INTEL. Sic multi ne audiant veritatem, exeunt ad vana & mundana: de quibus dicit Apostolus 2. Tim. 4. *Et à veritate quidem auditum avertent, ad Fabulas autem convertentur.* REFL. Tales sunt, qui pertinent ad secundam classem hominum.

VOL. Stabiliamus nos in tertiâ hominum classe; imò ascendamus ad tertium humilitatis gradum.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Audiamus hinc Pilatum innocentiam Christi testantem: inde Judæos pertinaciter accusantes.

INTEL. Perpendamus ex circumstantiis indignitatem hujus rei, & quantum doloris sensus Christo debuerit afferre. *Calumnia conturbat sapientem.* Eccl. 7. REFL. Hinc patet quàm sequamur Christum à longè, qui tam dejecto sumus animo, dum talis nobis injuria accidit.

VOL. Ferventiùs igitur renovemus affectus
tertii gradus humilitatis.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Pilato re-
spondit *Jesus: non haberes potestatem adver-*
sus me ullam, nisi tibi datum esset de super. Joan.
19.

INTEL. En ut Divinitas non tantum se quasi
abscondat, ne liberet Christum; sed ut etiam po-
testatem adversum Christum det Præsidi, ad eum
condemnandum. **REFL.** Nos verò etiam justorum
judicum potestati vellemus nos eripere.

VOL. Sequamur Apostoli monitionem. *Ad-*
mone illos, inquit, Principibus, & potestatibus
subditos esse, dicto obedire, &c. Tit. 3. Studeamus
humili obedientiæ.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Iterùm iniquita-
tem Judæorum contra Christum nobis ob ocu-
los ponamus.

INTEL. Christus illas injurias passus est pro-
pter iniquitatem nostram, propter detractiones,
& calumnias, quibus proximos afficimus. &c. *Po-*
suit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.
Isa. 53. **REFL.** Justum, & dignum est nos potius
talia pati, qui sumus nocentes.

VOL. Præmissâ verâ contritione, etiam exte-
riori pœnitentia ostendamus nos pro Christo, &
pro peccatis nostris talia velle pati, cum eadem
humilitate.

COLLOQ. De tribus modis humilitatis.

RECOLLECTIO, REPETITIO, APPLICATIO SENSUUM.

MEDI-

MEDITATIO XV.

De Christi apud Pilatum accusatione.

Matth. 26. Luc. 23. Marc. 15. Joan. 18.
Myst. punct. 3.

CONG. Ordinaria.

PRÆL. I. Quomodo Christus Barabbæ fuerit postpositus.

PRÆL. II. Videre locum prætorii, ubi Christus Barabbæ comparatus fuit.

PRÆL. III. Petere gratiam in omnibus eligendi juxta tertium humilitatis modum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueamur Christum junctum Barabbæ, cum eoque populo propositum.

INTEL. Sic impletum est illud, Isa. 53. *Et cum sceleratis reputatus est.* REFL. Cogitemus, quam grave nobis accidat, si cum inferioris conditionis homine comparemur.

VOL. Postquam vidimus Christum comparatum latroni, etiam offeramus nos ad ferendum cum Christo talem contemptum.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Judæos, *centes; non hunc, sed Barabbam.* Joan. 18.

INTEL. En Christum non modò æquiparatum, sed communi voce populi postpositum Barabbæ.

REFL.

REFL. Hic memores simus Contemplationis *Regni Christi*, quod in eisdem cum ipso casibus debeamus esse, si velimus ipsum sequi.

VOL. *Eno! Rex supreme &c.* hoc est meum certissimum decretum, quam possim proximè te sequi in ferendis injuriis. Tecum volo omnibus postponi, & opto, ut omnes me aspiciant, tamquam *despectum & novissimum virorum*. Isa. 53.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis*. Marc. 15.

INTEL. Ad tam sceleratam concitationem turbæ, Pontifices adducti sunt per capitale peccatum *invidia*. Pilatus sciebat enim quod per *invidiam tradidissent eum summi Sacerdotes*. Marc. 15. *Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius*. Sap. 2. REFL. Pontifices illi erant ex parte, & sub vexillo diaboli; ideò agebant, ut mors ipsius Christi introiret in Orbem.

VOL. Nos vitio illi pessimo *invidiæ*, quod oritur ex tribus illis tentationum gradibus; potissimum verò ex *superbiâ*, opponamus tres perfectionis gradus, præsertim *humilitatem*.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Audiamus clamorem populi: *non hunc; sed Barabbam*. Joan 18.

INTEL. Voces hæ non poterant non intimè *Christum* pungere, nam verè erat quasi *gladius in labiis eorum*. Ps. 58. REFL. Duro corde sit, qui videt Re-

gem suum ita afflictum, & non moveatur.

VOL. Excitemus nos ad affectum compassionis, & ad similia quoque cum ipso patiendum.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. *Sedem autem illo pro Tribunali, misit ad eum Uxor ejus dicens: nihil tibi, & justo illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Matth. 27.*

INTEL. Divinitas abscondit se, & laxat quodammodo habenas doloribus Christi, & interea se exerit, pungendo conscientiam Judicis Pilati. REFL. Ille est mos spiritus boni, pungere conscientiam assidue illorum, qui male agunt: interea tamen non liberavit Christum; sed *Dominus voluit contere eum in infirmitate. Isa. 53.*

VOL. Oremus Deum, ut nos similiter punget dum male agimus: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. Ps. 118.* Similiter cum Ecclesiâ oremus: *ut & patientia ipsius habeat documenta, & resurrectionis consortia mereamur.*

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Iterum intueamur concitationem populi clamantis: *hunc; sed Barabbam.*

INTEL. Causa cur Christus à populo eligentem Barabbam, tam indigna passus est, sunt pervertite electiones, quæ passim in mundo fiunt. REFL. Estimemus juxta Regulas, & instructiones de electione, Electiones nostras.

VOL. Statuamus diligenter studere toti illi

argumento de electione: ne passione, & humanis rationibus abrepti, eligamus Barabbam præ Christo.

COLLOQ. Quibus petamus gratiam in omnibus rectè eligendi. RECOLLECTIO.

MEDITATIO XVI.

De transmissio Christo ad Herodem.

Luc. 23. Myst. punct. 1.

CONG. Christi passioni condolere.

PRÆL. I. Quomodo Pilatus transmiserit Christum ad Herodem.

PRÆL. II. Aspicere viam ad Palatium Herodis.

PRÆL. III. Petere dolorem de peccatis, & compassionem erga Christum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Pilatus æstimans, quod homo Galilæus esset. Luc. 23.

INTEL. Consideremus, quàm cœcè Pilatus, aliique judicaverint de personâ Christi: Pilatus tantummodò interrogavit si homo, & homo Galilæus esset? Nihil plus in Christo videbat. REFL. Hinc discamus illud. Rom. 8. *qui enim secundum carnem sunt: quæ carnis sunt sapiunt: qui verò secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt.* Ideò Pilatus non sentiebat plus quàm hominem, & Galilæum.

VOL. Nos verò secundum spiritum sentiamus,

mus, & insuper confiteamur: *Quia tu es Christus filius Dei vivi.* Joan. 11. tu es Imperator meus, Rex meus, Dux meus, Dominus meus, Deus, & Creator meus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Contemplemur Christum in viâ ad Herodem, & comitantes, cum militibus, Pontifices, & Sacerdotes.

INTEL. Credibile est Christum Patri suo tunc dixisse: *circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Ps. 21. Vituli, & tauri benè pasti à mundanis commoditatibus, ferocientes contra me. **R**EFL. Inter tales necesse est habitare justos, quamdiu sunt in corpore. *Considera peccator justum, & querit mortificare eum.* Ps. 36.

VOL. Quando videmus nos cinctos talibus, Oremus: *Ab homine iniquo, & doloso erue me.* Psal. 42.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Pilatus remisit eum ad Herodem.* Luc. 23.

INTEL. Pilatus agnoscebat Christum esse innocentem, & deserit causam ejus, & in alium conatur eam transferre. **R**EFL. Sic per ignaviam, vel aliâ ex causâ, innocentes sæpè non defenduntur.

VOL. Dum agitur de causâ alicujus innocentis, benè nobis proponamus Regulas eligendi, & petamus à Deo lumen, & fortitudinem.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Comitemur, & nos Christum, dum ducitur ad Herodem per 350. gressus, juxtâ Adrichomium.

INTEL.

INTEL. Inspiciamus, & audiamus opprobria, quæ passus est in viâ, à populo accurrente; nam adolesebat dies: idque postquam totâ nocte rinctus & cruciatus fuerat. REFL. Si Christus sit Rex noster, nos quoque decet in ejusmodi vigiliis, casibus, & laboribus eum sequi.

VOL. *En ô Rex supreme, &c. Volo quàm proximè te sequi in ferendis injuriis, &c.*

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Oculos convertamus ad Cœlum.

INTEL. Vidit Pater cum totâ cœlesti aulâ hanc luctuosam viam: & tamen nihil inde auxilii.

REFL. *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit.* Isa. 53. Ideò sine ullo auxilio tam luctuosam viam obivit Christus.

VOL. Renovemus ea, quæ apud animum proposuimus in meditatione *Fundamenti.*

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Cogitemus causam; cur tanta Christus passus sit hætenus, in hisce mysteriis.

INTEL. Causam dat Isaias cap. 53. *Attritus est propter scelera nostra.* REFL. Recenseamus scelera, & peccata nostra.

VOL. Excitemus affectus proprios primæ hebdomadæ.

COLLOQ. Triplex hebdomadæ primæ.

COLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

U 3

MEDI-

MEDITATIO XVII.

De transmissio Christo ad Herodem.

Luc. 23. Myst. punct. 2.

CONG. Sicut in hac hebdomade.

PRÆL. I. Quomodo Christus Herodienti curiosa nihil responderit, quamvis accusaretur.

PRÆL. II. Aspicere Palatium Herodis.

PRÆL. III. Petere gratiam compatiendi, & condolendi Christo, eumque imitandi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Videamus Christum in aulâ Herodis stantem ante ipsum.

INTEL. Christus primùm stetit coram Iudice Ecclesiastico, deinceps coram Gentili, nunc coram Judæo sæculari. **REFL.** Sic Iusti expositi sunt omnium Iudiciis; præsertim si vitam agant Apostolicam.

VOL. Nos verò ideo ne minimùm quidem declinemus ab obsequio Dei; *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis iudicer, aut ab humano dis.* Cor. 4. *Ne timeas à facie eorum.* Jerem. 1.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Herodes interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Luc. 23.

INTEL. Christus noverat intima Herodis, quod sermones illius non procederent, nisi ex v

nâ curiositate. REF. Hinc discimus silentium opponendum esse aulicis, mundanis, & inutilibus sermonibus.

VOL. Nos igitur exemplo Christi, agamus & dicamus cum Propheta: *Locuti sunt vanitates, & dolos totâ die meditabantur. Ego autem tamquam surdus non audiebam; & sicut mutus non aperiens os suum.* Psal. 37.

PUNCTUM III OPERA. MEM. Herodes sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Luc. 23.

INTEL. Christus sicut ad inanes Herodis interrogationes silentium reposuit; sic ad curiosam ejus spem, signa & miracula cohibet. Noverat quomodo in ipso prædominaretur *carnis, sensuum, amorisque proprii, ac mundani* rebellio.

REF. Nimirum hominibus carnalibus, superbis, & vexillo diaboli omnino deditis sacra mysteria obijcienda non sunt, quamdiu non sunt dispositi, neque spes est, ut disponantur.

VOL. Nos igitur sequamur id, quod Christus nunc exemplo, & antea verbo docuerat: *Nolite dare sanctum canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos; ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.* Matth. 7.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Videamus Christum coram Herode stantem

INTEL. Sicut gratum est Justo, esse *in consilio iustorum, & congregatione.* Ps. 118. Sic Christo magnum patientiæ exercitium fuit esse in præsentia Herodis, adulteri, & homicidæ Sancti Jo-

annis Baptistæ. REFL. Nos quoque decet Christi patientiam in silentio & modestiâ imitari, dum contingit nos esse in consortio malevolorum.

VOL. Compatiamur Christo, idque opere ipso; conjungendo patientiam nostram cum ipsius, dum versamur inter adversarios. *Pro eo, ut me diligere detrahebant mihi: ego autem orabam.* Psal. 108.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Revocamus in memoriam silentium illud, & modestiam Christi.

INTEL. Non tantum Divinitas videtur hinc abscondita: sed ipsa quoque humanitas apparet quasi impotens ad loquendum & agendum quidpiam in sui defensionem. REFL. Hinc discimus, quod sicut Christus *oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum.* Isa. 53. Sic nos quoque liberâ voluntate nostrâ debeamus nos offerre pro Christo.

VOL. Optemus & oremus Deum, ut Christi hoc exemplum nos moveat, sicut movit innumeros Martyres.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Consideremus, qua ratione Christus in Aulâ Herodis inventus sit cum tantâ patientiâ.

INTEL. Christus in prædicatione non concursavit per Aulas: nec quæsit Aulas, ubi non erant homines dispositi ad capiendam Sapientiam cœlestem: ivit tamen ad Convivia etiam præcipuorum, invitatus, & quando occasio erat proximos juven-

juvandi. Sed ad aulas alias in vinculis ductus est, & multa patiens. REFL. Hæc omnia propter vanam, & mundanam nostram conversationem corrigendam.

VOL. *Evangelizare pauperibus misit me,* dicamus cum Christo. Luc. 4. & in aliis, nil nisi Dei gloriam, & proximi salutem spectemus.

COLLOQ. Petendo, ut Christum imitari possimus, & cum illo modestiam & patientiam in omnibus sectari. RECOLLECTIO.

MEDITATIO XVIII.

De transmissio Christo ad Herodem.

Luc. 23. Myst. punct. 3.

CONG. Condolere Christo contempto & illusio.

PRÆL. I. Quomodo Christus ab Herode spreus fuerit, & alba veste indutus.

PRÆL. II. Constituere se præsentem huic spectaculo.

PRÆL. III. Petere gratiam tertii modi humilitatis.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Aulam Herodis, & in eâ Christum.

INTEL. Videamus Herodem, cum exercitu suo militantem sub vexillo Luciferi, in cathedrâ superbiæ sedentem, plenum fumo vanitatis, homicidam & adulterum terribilem: Christum verò humili constitutum loco; sed speciosum figurâ inter tot opprobria, & vultu valdè amabili.

U S

REFL.

REFL. Eligendum est alterutrum vexillum. *Nemo potest duobus dominis servire.* Matth. 6.

VOL. Toto corde detestemur vexillum Diaboli, & mores pessimos Herodis, & amplectamur Christi vexillum.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Attendamus animum ad sermones, qui ibi habentur.

INTEL. Sermones Herodis, & Aulicorum erant pleni contemptûs, & vituperii. *Derident enim Justi simplicitas.* Job. 12. Christus verò Patri suo, & nobis tacitè loquitur: *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Thren. 3. REFL. Si elegerimus Christi vexillum, debemus propter Christum etiam lubenter derideri.

VOL. Memores simus Christi sic derisi, dum propter virtutem irridemur & contemnimur. Veniet tempus, quando derisores illi, cum Herode, & Aulicis ipsius dicent: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum &c. Nos insensati &c.* Sap. 5.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste albâ.* Luc. 23.

INTEL. Sic tanquam stultum Herodes cum suis Christum sprevit. REFL. Hæc est vestis Regis nostri: hæc sunt insignia ejus, quibus debemus indui.

VOL. Exerceamus nos in tertio modo humilitatis. *Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum.* 1. Cor. 3.

PUN-

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. CONVER-
tamus nos ad Christum albâ veste indutum &
illum.

INTEL. Meritò Isaias describit Christum, *despectum, & novissimum Virorum*, Cap. 53. Nam in genere contemptûs, Sapiencia Christi, non potuit plus pati, quàm testimonium stultitiæ. **REFL.** Comparemus quidquid passi fuimus vituperii, cum hoc Christi despectu.

VOL. Si amemus Christum Regem nostrum, tangamur commiseratione, & compassione: & optemus cum ipso socii esse in tali vituperio propter Justitiam.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Videamus
Deum Patrem & Aulam cœlestem spectantem hanc Christi irrisionem.

INTEL. Ibi in Cœlo judicatur Herodes cum suis, ut stultus: & quàm verum sit iudicium illud cœleste, agnoscent omnes, qui sequuntur Herodem, quando clamabunt: *Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam. &c.* Sap. 5. Attamen Cœlum videtur clausum, nec Divinitas ullum solatium permittit. **REFL.** Non mirum, si nobis quoque in desolationibus videatur interdum Cœlum quasi claudi.

VOL. Quando dicimus ad eum: *Quare me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?* non dicamus id conquerendo (nam memores esse debemus hujus Christi desolationis in tanto contemptu) sed sicut sequitur, petendo humiliter auxiliû: *Emitte lucem tuam, &c.* Ps. 42.

PUN-

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Ad idem spectaculum Christi illusi nos iterum convertamur.

INTEL. Peccata superbiæ hominum causa fuisse, cur Deus in tanto contemptu *proprio Filio non pepercit.* Rom. 8. **REFL.** Scrutemur nos ipsos, & recenseamus cogitationes, verba & opera superbiæ nostræ.

VOL. Excitemus contritionem de illis peccatis, ex amore erga Christum, qui propter nos tanta passus est, & renovemus tertium humilitatis modum.

COLLOQ. Quibus petamus gratiam magnam Dei. Nam postquam sexcenties renovaverimus affectum tertii modi humilitatis, dum ejus exercendi erit occasio, sentiemus infirmitatem nostram. Ita radicatum est illud vitium capitale in homine.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XIX.

De reversione ab Herode ad Pilatum.

Matth. 27. Luc. 23. Marc. 15. Joan. 19.

Myst. punct. 1.

CONG. Ut solet.

PRÆL. I. Quomodo reverso Christo ad Pilatum, amici facti sint Herodes & Pilatus.

PRÆL. II. Respicere viam reversionis.

PRÆL.

PRÆL. III. Petere gratiam constanter sequendi vestigia Christi in hoc mysterio.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Spectemus Christum regredientem ad Pilatum.

INTEL. Jam die provec̄tâ ad meridiem, redintegrantur, & à majori plebis multitudine multiplicantur opprobria. Consideremus igitur in Christo patientiam, mansuetudinem, longanimitatem. REFL. Nos verò in minimis rebus adversis animo cadimus, irascimur, & patientiæ virtutem amittimus.

VOL. *Tu es patientia mea Domine. Psal. 70.* Nam per passionem tuam me illam docuisti, & mihi illam meritus es. Idcirco toto corde volumus illam imitari.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audire loquentes Scribas & Phariseos comitantes, inter se, & cum plebe.

INTEL. Voces eorum sunt descriptæ Prov. 1. *Veni nobiscum: insidiamur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra: deglutiamus eum quasi infernus viventem, &c.* REFL. Cum Dux impiorum sit horribilis figurâ, vultuque terribilis, non mirum est, si ab illo, ejusque ministris voces ejusmodi crudeles contra insontes profluant.

VOL. Nos verò contra ejusmodi terrores patientiam Christi opponamus, & simus animo forti, corde imperterrito, ac fronte arduâ, juxta Regulas de disc. Spir. & à verbis Viri peccatoris *ne timueritis, quia gloria ejus stercus & vermis: hodie extollitur, & cras non invenietur, &c. 1. Mach. 2.*

PUN-

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Herodes Christum premisit ad Pilatum, & facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsâ die. Luc. 23.*

INTEL. Interea manebant inimici Deo, propter idololatriam, adulteria, &c. *Adulteri nescitis, quia amicitia hujus mundi, inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur, Jacob. 4.* REFL. Concludamus, neminem fore sanæ mentis, qui amicitiam Dei postponat, amicitia hujus sæculi.

VOL. Renovemus affectum in hebdomadâ primâ conceptum, ac *perspectâ, & damnatâ mundi pravitate, nosmetipsos secundum Deum rectè ordinemus*

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Oculos iterum ad reditum illum Christi ad Pilatum convertamus.

INTEL. Christus poterat dicere Patri suo: *Dicitur ac nocte gravata est super me manus tua. Psal. 31.* Nam totâ nocte in domo Caiphæ, & nunc interdiu tanta patitur. REFL. Cogitemus quanta sit ignavia nostra, si Regem nostrum in tam acerbo casu deseramus.

VOL. *En ò Rex supreme, &c. volumus quàm proximè te sequi in ferendis injuriis, & adversis omnibus, &c.*

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Christum inter tot adversa attentius contemplemur.

INTEL. Et miracula, & verba hîc desunt, quibus omnia ista momento avertere poterat.

Sed

Sed voluit non tantum per Prophetas verbis prædicere suam passionem; sed etiam opere ipso implere. REFL. Concludamus hoc esse exemplum tertiæ hominum classis.

VOL. Firmemus nos in tertiâ hominum classe: consentaneos affectus eliciamus.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Hæreamus oculis mentis fixi in Christo.

INTEL. Omnia hæc tolerat, *propter nos homines, & propter nostram salutem, & propter peccata nostra. Disciplina pacis nostra super eum.* Ila. 53. REFL. Interrogemus nos ipsos; quid nos conveniat facere?

VOL. Effundamus nos totos in affectus hebdomadæ primæ: & in perfectam contritionem.

COLLOQ. Desumat ex hebdomadâ primâ. RECOLLECTIO.

MEDITATIO XX.

De reversione ab Herode ad Pilatum.

Matt. 27. Luc. 23. Marc. 15. & Joan. 19.

Myst. punct. 2.

CONGRUA. Indulgere affectui commiserationis erga Christum.

PRÆL. I. Quomodo Christus fuerit flagellatus, spinis coronatus, & colaphis cæsus.

PRÆL. II. Videre Prætorium Pilati, ubi hæc fiebant.

PRÆL.

PRÆL. III. Petere gratiam, intimè cognoscendi tormenta Christi, & cum ipso patiendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Ingrediamur mente Prætorium Pilati, & aspiciamus JESUM in flagella paratum, & columnæ alligatum.

INTEL. Perpendamus, quanta fuerit illa ignominia, more sceleratorum, alligari columnæ, nudari, ad flagella damnatum esse, & ut talem aliorum oculis exponi. Hæc maxima esset ignominia, quamvis flagellatio secuta non fuisset. REFL. Hæc sunt opprobria, & vituperia, quæ Christus exemplo suo nos docuit etiam ambire, quando pro ipsius obsequio ita conveniret.

VOL. Nos imitemur Apostolos, qui hoc Christi exemplo excitati, *ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Act. 5.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Arrigamus aures, & pro verbis, audiamus ictus & verbera flagellorum.

INTEL. Hæc est *vox flagelli*, sicut loquitur Nahum cap. 3. REFL. Perpendamus quòd Christus hîc dederit nobis exemplum patiendi dolores & cruciatus in corpore, & morbos etiam acutos tolerandi.

VOL. Sequamur hoc Christi exemplum, & *vox flagelli* audiatur etiam apud nos: dicamusque, *quoniam ego in flagella paratus sum.* Ps. 37.

PUNCTUM III. VERBA. MEM. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus. Et veste purpureâ circumdederunt eum. Joan. 19. & posuerunt arundinem in dexterâ ejus: & genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus. Matth. 27. & dabant ei alapas. Joan. 19.*

INTEL. Non opus magna ratiocinatione, sigula inspicienda modò sunt. **REFL.** Quam hæc sunt omnia contraria carnis, sensuum, & amoris proprii, mundanique operibus!

VOL. Nos genu flexo ante Regem nostrum sic coronatum, adoremus eum, & cum Ecclesiâ dicamus: *tu Rex gloriae Christe; tu Patris sempiternus es filius, &c.*

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Hæreamus mente in spectaculo isto.

INTEL. Percurramus quatuor illa nobis in *Fundamento*, proposita: Quantum Christus patiat in vitâ brevi. Nam hæc omnia erant præludia ad mortem crucis. Quantum in ægritudine, & doloribus: Quantum in paupertate, spoliatus omnibus, etiam amicis: Quantum in contemptu, & in opprobriis. **REFL.** Post hæc cogitemus, quàm procul absumus à vestigiis illis Regis nostri.

VOL. Offeramus nos paratos, ut quatuor illis modis patiendi, Christum proximè sequamur.

PUNCTUM V. Quid DIVINITAS. MEM. Inter hæc convertamus oculos ad Aulam Cœlestem.

INTEL. Manet etiamnum Divinitas immota: Nam *Dominus voluit eum conterere in infirmitate*, Isa. 53. necdum inter tam atrociam satis contritus est. **REFL.** Post hæc nobis lubet manere in primâ vel secundâ hominum classe!

VOL. Ascendamus ad tertiam classem, & opere ipso conteramus nos. *Cor contritum, & humilitatum Deus non despicies*. Ps. 50.

PUNCTUM VI. Quid Nos. Cogitemus causam tam immanium cruciatuum.

INTEL. Causa est, *quia posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*. Isa. 53. **REFL.** Concludamus, quod nostræ partes sint, deplorare peccata nostra, & propter illa nos conterere.

VOL. Recitemus hic Psalmum 50. *Miserere mihi Deus*. &c.

COLLOQ. Ex hebdomadâ primâ.

RECOLLECTIO, REPETITIO, APPLICATIO SENSUUM.

MEDI.

MEDITATIO XXI.

De reversione ab Herode ad Pilatum,
 Matt. 27. Luc. 23. Marc. 15. Joan. 19.

Myft. punct. 3.

CONG. Cum Christo dolere, & pati.

PRÆL. I. Quomodo Christus sic coronatus, productus fuerit à Pilato, & populo exhibitus.

PRÆL. II. Respicere locum, in quo Christus spectandus stetit.

PRÆL. III. Petere magnam gratiam, Christi vestigia propiùs sequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Exiit ergò Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum.* Joan. 19.

INTEL. Contemplemur Regem nostrum in Propylæo Prætorii stantem, *in diademate, quo coronavit illum mater sua.* Cant. 3. Synagoga scilicet invidorum Judæorum. Hic si umquam aliàs Christus est factus *spectaculum mundo, Angelis & hominibus.* I. Cor. 4. Angelis ad Reverentiam, & adorationem: hominibus Judæis ad scandalum, & majorem invidiam. REFL. Videamus Angelisne, an Judæis nos velimus jungere.

VOL. Nos ad illud spectaculum cum Angelis ex-

X 2

ercea-

erceamus affectus admirationis, adorationis, & amoris erga Deum & Dominum nostrum.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Pilatus *dixit eis*:
Ecce Homo. Joan. 19.

INTEL. Ideo Christus, cum esset *Deus*, voluit proclamari à Pilato, Homo, ut doceret nos contemnere vanos mundi titulos. REFL. Cogitemus quantos motus in animis hominum sæpe faciant ejulmodi inanes tituli.

VOL. Ambiamus titulos veros. *Gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* 2. Cor. 12. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum,* Pl. 140. omnes illi tituli, sunt falsi, & procedunt à peccatoribus miseris.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Pilatus *dicit eis*:
Ecce adduco eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam, Joan. 19.

INTEL. Quò magis quærebat Pilatus dimittere eum, Joan. 19. eò magis Pontifices & Ministri clamabant dicentes: *Crucifige, crucifige eum,* Joan. 19. REFL. Perpendamus, quàm sit perniciosum vitium illud capitale Invidia. Pilatus *sciebat enim, quòd per invidiam tradidissent eum,* Matt. 27. *Putredo ossium, invidia.* Prov. 14. *Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Sap. 2.

VOL. Opponamus isti vitio, in superbiâ radicato, tertium humilitatis modum.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. *Exiit ergo Jesus, portans coronam spineam. Joan. 19.*

INTEL. Opprobria, quæ pertulit Christus intus in Prætorio, spectabant ad contumeliam, & ignominiam privatam; sed quando jam foras erumpunt, & vagantur per populum, jam fit infamia. Sicut gloria, est honor sive laus publica. **REFL.** Christus patitur hanc infamiam: nos interea nil nisi gloriam mundanam cogitamus.

VOL. Iterum confugiamus ad tertium humilitatis modum.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. *Judæi clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Joan. 19.*

INTEL. Clamores illi fieri non poterant sine concursu generali Dei, & tamen se non subtrahit Divinitas; sed permittit tam infamia pati humanitatem. **REFL.** Nos verò tam anxie conamur subtrahere omnes causas contemptûs nostri.

VOL. Agnoscamus, quanto perè egeamus gratiâ Dei, ut superbiam nostram superemus.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Cogitemus ea, quæ Christus patitur in hoc Mystero.

INTEL. Noster amor proprius, & amor mundanus, & ambitio gloriæ, causa fuere, cur Christus tanta passus sit. **REFL.** Recenseamus peccata nostra in hoc genere.

VOL. Studeamus illa per pœnitentiam interiori & exteriori delere, juxta *Addit. 10. hebd. 1.*

COLLOQ. Conformia hebdomadæ primæ.
RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXII.

*De condemnatione, & crucifixione JESU
Christi. Joan. 19.*

Myft. punct. I.

CONG. Desiderium cum Christo amplectendi
Cruce.

PRÆL. I. Quomodo Pilatus Christum tradi-
derit ad crucifigendum.

PRÆL. II. Aspiciere locum judicii.

PRÆL. III. Petere gratiam, patienter cum
Christo subeundi judicia humana.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Pilatus *adduxit fe-
ras Jesum, & sedit pro Tribunali.* Joan. 19.

INTEL. Aspiciamus Pilatum Judicem sedentem;
Judæos Actores, & accusatores; Jesum inter illos
stantem reum, sine ullo Patrono aut Advocato,
cum humili modestiâ & silentio. REFL. Nos vero
solemus Judicibus, & Superioribus nostris relu-
ctari; malè imprecari, & protervè interdum resi-
stere.

VOL. Decernamus apud animum nostrum de-
inceps bene observare illud 1. Petri 2. *Subjecti igi-
tur estote omni humana creatura propter Deum
sive Regi, quasi præcellenti; sive Ducibus, tam-
quam*

quam ab eo missis, &c. & cum magna reverentiâ, & humili modestiâ subeamus ipsorum iudicium, idque propter Deum.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Joan. 19.

INTEL. Hic Judæi negant palam Christum esse Regem: & malunt Cæsarem agnoscere Regem, quam Christum. **REFL.** Absit, ut nos cœcos illos & pertinaces Judæos sequamur.

VOL. Nos igitur contra Judæos clamemus cum Ecclesiâ: *Tu Rex gloriae Christe, &c. Dicamus, Tu es ipse Rex meus, & Deus meus. Ps. 5. En ô! Rex supreme ac Domine universorum. &c.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Pilatus acceptâ aquâ, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine Justi hujus: vos videritis. & respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros, &c. Matt. 27.*

INTEL. Pilatus, tot modis declaraverat Jesum innocentem, & tot viis querebat Pilatus dimittere eum, Joan. 19. Jam etiam eos terret, dicendo: *vos videritis*, Nihilominus Judæi Pilatum trahunt & pertrahunt ad injustam sententiam: & sibi ipsis ac filiis suis vindictam innocentis sanguinis accersunt. **REFL.** Ratiocinemur, quanta sit vis invidiæ & odii, quando quis passionibus illis excœcatus est.

VOL. Oremus cum Ecclesia; *ab irâ & odio, & omni malâ voluntate, libera nos Domine.*

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Convertamus oculos ad Christum jam morti adjudicatum.

INTEL. Verè de hoc iudicio dicere possumus, sive Judices, sive accusatores, sive innocentissimum Jesum consideremus: *Vidi sub Sole in loco Iudicii impietatem, & in loco justitiæ, iniquitatem.* Eccl. REFL. Hinc concludere licet, quantum hinc Christo obortus sit doloris sensus. Nam *calumniæ conturbat Sapientem, & perdit robur cordis illius.* Eccl. 7.

VOL. Regem nostrum agnovimus te Christe, volumus tecum pati, quando id exigit obsequium tuum, injusta hominum de nobis iudicia.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Consideremus iterum omnes, quotquot huic Sententiæ injustissimæ participes fuere.

INTEL. Ratiocinemur, quantas pœnas meriti sint: & tamen is, qui tot exempla severitatis exercuit, qui Diluvio genus humanum quasi totum delevit; Sodomam & Gomorrham in cineres igne redegit, &c. ille hîc continet se, nec exerit potentem manum suam: sed quasi abscondit se, REFL. Et nos interea spiramus vindictam contra adversarios nostros.

VOL. Clamemus potiùs cum Stephano: *Domine ne statuas illis hoc peccatum,* Act. 7. Sequamur Christum, qui *cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem iudicanti se injustè.* 1. Pet. 2.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Recenseamus totum hoc Myſterium.

INTEL. Cauſam cur Chriſtus tradiderit iudicanti ſe iniuſtè, addit Apoſtolus Petrus: *Ut peccatis mortui, juſtitia vivamus* 1. Pet. 2. REFL. Perpendamus quot nominibus incitemur, & obligemur, ut moriamur peccatis, & juſtitia vivamus.

VOL. Effundamus nos in affectus hebdomadæ primæ.

COLLOQ. Affectibus illis conformia.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XXII.

*De condemnatione, & crucifixione JESU
Chriſti. Joan. 19.*

Myſt. punct. 2.

CONG. Parare ſe ad iter cum Chriſto in Montem Calvaria.

PRÆL. I. Quomodo Chriſtus crucem ſuam bajulaverit, & Simon Cyrenæus deinde eam poſt ipſum tulerit.

PRÆL. II. Videre viam ad Montem Calvaria à Prætorio Pilati.

PRÆL. III. Petere gratiam Crucem cum Chriſto bajulandi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Jesus bajulans sibi crucem, exiit in eum, qui dicitur Calvaria locum, Joan. 19.*

INTEL. Aspiciamus Christum Cruce oneratum, & simus memores verborum Isaïæ c. *Filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum ejus.* Nam per Crucem expugnavit inimicos omnes, & obtinuit Principatum & Regnum. REFL. *Cruz quoque si eâ insigniti fuerimus, est tessera & signum, quòd simus veri milites Christi.*

VOL. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi, &c. Gal. 6.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum loquentem Luc. 14. *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse Discipulus.*

INTEL. Illud quod Christus tunc dixerat, jam dicit & nobis ostendit exemplo. REFL. Exploremus & examinemus ad hanc Christi sententiam, an simus ejus Discipuli.

VOL. Excitemus affectus contemplationis Regni Christi, nos totos illi devotes, tamquam Regi Domino, & Magistro nostro,

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Simonem angaria- verunt, ut tolleret Crucem ejus. Matth. 27.*

INTEL. Hinc possumus intelligere, quòd Christus tulerit Crucem, usque ad virium defectum, ut necesse fuerit juvari. REFL. Talis debet esse constantia nostra in ferenda Cruce.

VOL.

VOL. Colligamus animos ad crucem ferendam constanter cum Christo : ipse adjutus fuit à Simone Cyrenæo : nos verò juvabimur ab ipso Christo.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Metiamur viam, quam Christus fecit à Prætorio Pilati, ad Montem Calvariæ.

INTEL. Perpendamus pondus Crucis, quam tulit, donec à Simone juvaretur : exhaustas vires vigiliis, flagellatione, coronatione, &c. vincula, verbera, &c. REFL. Hæc est via crucis, quam toties meditando elegimus.

VOL. Non pœniteat nos electionis illius ; sed compatiamur Christo, & verba illa altè impressa sint cordi nostro : *In hoc enim vocati estis ; quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* 1. Petr. 2. vestigia, inquam, in hac viâ ad Montem Calvariæ impressa.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. Luc. 23.

INTEL. Notemus, quòd Divinitas non magis se exeruit ad liberandum Christum, quàm duos illos latrones : ita ut innocentissimus Jesus, in eadem quasi sorte apud Deum cum sceleratis reputari videretur. REFL. Hinc non debemus nos quoque mirari, si videamus Justos interdum eâdem calamitate, cum impiis involvi. Deus mirabili judicio id facit, ut Patientiam & merita eorum magis coronet ; sicut postea factum fuit Christo in resurrectione.

VOL.

VOL. Domine iudicia tua abyssus multa. Ps. 35.
 Recordemur illius quod dicitur Eccl. 5. *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subverti iustitiam in Provincia, (quæ sanè in conde-
 mnatione Christi, magis quàm in alibi facta sunt) non mireris super hoc negotio, quia excelsior est alius. &c.* Excitemus fidem, & spem, futuri temporis, quo illi, qui nos angustiaverunt, turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione in sperata salutis. Sap. 5. Sicut in Christo factum fuit.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Aspiciamus Christum paulatim ad Calvariæ Montem accedentem.

INTEL. Meminerimus prophetiæ: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, Isa. 53. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in ea iniquitatem omnium nostrum.* **REFL.** Quia nos declinavimus a viâ, quæ ducit ad finem creationis nostræ, & convertimus nos ad peccata, ideo Christus sanguinolentam hanc crucis viam peregit, ut nos reduceret.

VOL. Erravi, sicut ovis, quæ periit, quare servum tuum, quia verba tua non sum oblitus. Ps. 118. Deduc me in semitam mandatorum, tuorum, quia ipsam volui. **ibid.**

COLLOQ. Desumpta ex hebdomade primâ.
RECOLLECTIO.

MEDI-

MEDITATIO XXIV.

De condemnatione, & crucifixione JESU
Christi. Joan. 19.

Myft. punct. 3.

CONG. Resumatur eadem.

PRÆL. I. Quomodo Christus inter duos latrones crucifixus sit.

PRÆL. II. Constituere se in Monte Calvariæ.

PRÆL. III. Petere gratiam, penitiùs intelligendi mysterium crucis.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Christum in Monte Calvariæ inter satellites, & instrumenta necis jam paratum, ut crucifigatur.

INTEL. Consideremus quod in statu rerum tam arduo, & tam fatali, maximè emicuerit id quod prædictum est Isa. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus Sapientia, & Intellectus; Spiritus Consilii, & fortitudinis; Spiritus Scientia, & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini.* REFL. In nobis verò, quoties arduum quid pro Deo adeundum est, & *consilium, & fortitudo, & cœtera omnia* facilè deficiunt.

VOL. Petamus septem illa Spiritus S. dona, & exemplo Christi ad crucem prompti simus.

PUN.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Joan. 19.

INTEL. Judæi clamaverunt: *Non habemus Regem, nisi Casarem.* Joan. 19. & ecce invitis, & nequidquam dissuadentibus Judæis, à Pilato Christus per illum titulum, proclamatur Rex Judæorum. **REFL.** Si offenderit titulus ille Judæos, nobis certè gratus esse debet, qui Christum pridem agnovimus Regem.

VOL. Imò non tantùm agnoscamus eum Regem Judæorum, sed profiteamur, quod sit *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* 1. Tim. 6. *Exaltabo te Deus meus Rex.* Ps. 144.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Crucifixerunt eum* Matth. 27.

INTEL. Perpendamus Christum in sublimi cruce elevatum, separatum fuisse quodammodo à terra, & à mundo: carnem, & corpus suum, habentem cruci affixum. **REFL.** Sic nos deberemus mundum despiciere, & deserere. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Gal. 5.

VOL. Dicamus itaque cum Apostolo Gal. 6. *mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*, hoc esse reputo mundum tamquam latronem crucifixum: sicut ille reputavit Christum.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. *Crucifixerunt eum; & latrones unum à dexteris & alterum à sinistris.* Luc. 23.

INTEL.

INTEL. Singula in hoc crudelissimo spectaculo perpendamus: quanta patiatur Christus in brevitate vitæ, id ætatis; in ægritudine, & dolore, transfixus clavis, &c. in nuditate, & paupertate; in contemptu, & opprobriis, *cum iniquis reputatus*. Marc. 15. REFL. Nos verò delicati sumus milites sub tali Rege.

VOL. Curramus, & accedamus ad Christum crucifixum, & crucem amplectamur, proferamusque ea, quæ suggerit mens & affectus.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Circumspiciamus innumeram hominum multitudinem spectaculo huic intentam.

INTEL. Divinitas quodammodo dicit: *nondum venit hora mea*. Joan. 2. *Quomodo ergo implebuntur scriptura, quia sic oportet fieri?* Matt. 26. REFL. Sic nos quando videmus, quod peccatores, & abundantes in seculo obtinuerunt divitias, & quod justus sit flagellatus totâ die, intremus in Sanctuarium Dei, & intelligamus in novissimis eorum. Ps. 72. Mox veniet hora, quâ se manifestabit Divinitas.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Hæreamus in amplexu Christi Crucifixi.

INTEL. Recogitemus illud 1. Pet. 2. *Peccata nostra ipse pertulit in Corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus*. REFL. Sic Deus dilexit nos: Sic justitiæ vivendo diligere ipsum debemus.

VOL. Affectui indulgeamus, in amplexu crucis.

COLLOQ. Conformia.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

ME.

MEDITATIO XXV.

De mysteriis in Cruce factis. Matth. 27.

Luc. 23. Joan. 19.

Myft. punct. 1.

CONG. Desiderium ut possimus comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiam & charitatem Christi. Eph. 3. quæ latet in mysterio crucis.

PRÆL. I. Quomodo Christus in cruce blasphemias audiverit, & divisa fuerint vestimenta ejus.

PRÆL. II. Videre Montem Calvaria.

PRÆL. III. Petere gratiam, ut possimus participes fieri crucis Christi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Judæos & Gentiles, huc illuc cursitantes, & prætereuntes Crucifixum Jesum, moventes capita sua. Matt. 27.

INTEL. Magis etiam inquietus erat animus Judæorum interior, plenus invidiâ, & odio. *Impi autem, quasi mare fervens, quod quis cere non potest. Isa. 57.* REFL. Nil mirum, quia videmus apud campum Babylonicum, sub impiorum duce omnia esse confusa & perturbata.

VOL. Nos vero stabiliamus nos sub vexillo Christi, ubi infunduntur fructus Spiritus Sancti, qui sunt:

sunt: *Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo. &c.* Gal. 5.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Judæi blasphembant dicentes: *vah! qui destruis templum Dei... Salvum fac te metipsum descendens de Cruce.* Marc. 15.

INTEL. Similia habentur Sap. 2. *Si enim est verè Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumeliâ & tormento interrogemus eum. &c.* **REFL.** Nos memores eorum, quæ antè meditati sumus, concludamus quod Christus non descenderit, quia amabat crucem, præ Cathedrâ igneâ & fumosâ Luciferi.

VOL. Convertamus nos igitur ad Jesum crucifixum optimum nostrum Imperatorem, agnoscentes, & adorantes eum, & *aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ.* Hebr. 12.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Milites dividerunt vestimenta ejus, sortem mittentes.* Matth. 27.

INTEL. Illi dividunt vestimenta Christi, qui charitatem violant, & dividunt fratrem à fratre. *Audite scissuras esse inter vos.* I. Cor. 11. **REFL.** Examinemus spiritum charitatis nostræ.

VOL. Imprimamus cordi nostro verba, quæ Christus dixit post ultimam Coenam: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Joan. 13.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Manemus aspicientes Jesum Crucifixum.

INTEL Contemplemur Caput, manus, pedes, clavos, doloresque summos: inter quæ audiamus irrisiones, blasphemias, &c. **REFL.** Quis miles non movebitur videns Regem suum, sui amore in tormentis & miseriis? quis non cum ipso volet amore ipsius pati?

Vol. Igitur deponentes omne pondus, & circumstantans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, Hebr. 12. ad certamen scilicet crucis.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. A sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram, usque ad horam nonam. Matth. 27.

INTEL. Incipit Divinitas se prodere. Tenebrae non tantum indicabant luctum Coeli in agonia Christi; sed etiam tenebras & coecitatem Judaeorum. Error, & tenebrae peccatoribus concretae sunt. Eccl. 11. **REFL.** Consideremus tenebras nostras, dum peccavimus rursus crucifigentes sibi metipsis Filium Dei. Hebr. 6.

Vol. Deploremus tenebras nostras, & dicamus: *Deus meus illumina tenebras meas.* Ps. 137.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Aures iterum parrigamus ad blasphemias Judaeorum.

INTEL. Sic in Christo impletum fuit illud Thren. *Saturabitur opprobriis, idque propter scelus populi.*

populi. Isa. 53. REFL. Nos sumus ille populus, nostra scelera fuere causa, cur tanta passus sit Christus.

VOL. Convertamus nos ad pœnitentiam, ne cadat in nos illa reprehensio; *Nomen enim Dei per vos blasphematur. Rom. 2.*

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, sicut in Exerc. I. hebd. I. RECOLLECTIO.

MEDITATIO. XXVI.

De Mysteriis in Cruce factis. Matth. 27.

Luc. 23. Joan. 19.

Myst. punct. 2.

CONG. Condolere Christo Crucifixo.

PRÆL. I. Quomodo Christus protulerit in Cruce septem verba.

PRÆL. II. Persistere in præsentia Christi crucifixi.

PRÆL. III. Petere gratiam, ut participes fiamus dolorum, & crucis Christi.

PUNCTUM II. PERSONÆ. MEM. *Stabant autem juxta crucem Jesu, Mater ejus, & soror Matris ejus Maria Cleopha, & Maria Magdalena. Videamus quoque Discipulum stantem, quem diligebat Jesus. Joan. 19.*

INTEL. Stabant, quod significat constantiam, & perseverantiam in casu tam luctuoso. REFL. Cogitemus, quàm levi de causâ, nos à constantia dimoveamur.

VOL. Stemus cum Matre Christi, & perseveremus

mus sub cruce; Nam *particeps erit victoria, & felicitatis unusquisque, prout laborum, & molestiarum socius extiterit.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum orantem pro crucifigentibus. Latroni parcentem, & quomodo Matrem suam Joanni commendet.

INTEL. Verba omnia, quibus usus est, spirant pietatem, & charitatem, tum erga Matrem, tum erga inimicos, & malefactores: & *pro transgressoribus rogavit.* Isa. 53. **REFL.** Memores simus, quod nos quoque obstringamur illo Christi præcepto: *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Matth. 5.

VOL. Sequamur, & premamus in hoc Christi vestigia ne simus ex illis: *qui retribuunt mala pro bonis.* Ps. 27. Sed ita agamus, ut gloriari possimus, & dicere: *si reddidi retribuentibus mihi mala.* Ps. 7. Potius nobis dictum putemus. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Rom. 12.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Jesus dixit: *sitio...* illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus. Joan. 19.

INTEL. Sic prædictum erat, & *in siti me à potaverunt me aceto.* Ps. 68. **REFL.** Si similes Christo esse velimus, necesse est ejus exemplo, expugnare rebellionem sensus gulæ, nosque in hoc mortificare

VOL. Hoc exemplo excitati non solum diligenter observemus Regulas, *de victu temperando,*

sed juxtâ Addit. 10. hebd. 1. etiam pœnitentiam
exteriorem in cibo, & potu adhibeamus.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Alia ver-
ba audiamus, quibus non tantùm se sitire; sed
etiam derelictum esse querebatur? ac tandem;
atrox ac arduum illud negotium dixit *consumma-
tum esse*: & mortem obivit dicendo: *Pater in
manus tuas commendo spiritum meum.* Luc. 23.

INTEL. Ut cognoscamus dolores Christi morien-
tis, qui durarunt per tres horas: meditemur ver-
ba. Ps. 21. *Deus, Deus meus. quare me dereliquisti.*
&c. **REFL.** Quid nos decet hîc facere?

VOL. Pluribus opus non est: Aspiciamus modò
Regem nostrum morientem, & verbo ac exemplo
dicentem: *omnia facito, secundum exemplar,
quod tibi ostensum est in Monte.* Hebr. 8. Exemplar
illud impressum erit in cordibus nostris.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. *Erat au-
tem ferè hora sexta, & tenebra facta sunt in
universam terram, usque in horam nonam.* Luc.
23.

INTEL. Qui tenebras illas tam prodigiosè indu-
xit in universam terram, demonstrabat, quod po-
tuisset Christus ab omnibus illis tormentis libera-
ri, & quod *oblatus est, quia ipse voluit.* If. 53. **REFL.**
Sic nos quoque debemus velle, ut dicere possi-
mus: *consummatum est.* Joan. 19.

VOL. *Aspicientes in Auctorem fidei & consum-
matorem Jesum.* Hebr. 12. Stabiliamus nos in ter-
tiâ hominum classe: ut re ipsa consummemus ter-
tium modum humilitatis.

Yngl... PUN-

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Mentem convertamus ad luctuosum illud spectaculum, trium horarum.

INTEL. Sic Christus dilexit nos humiliando semetipsum *usque ad mortem, mortem autem crucis*. Philip. 2. idque ut fieret nobis *Iustitia, & sanctificatio, & redemptio*. 1. Cor. 1. REFL. Nos ex dilectione erga Christum, paria haud dubie reddere debemus, si simus sanæ mentis.

VOL. Non averrentes oculos à Christo Crucifixo, duplicemus affectus tertii modi humilitatis.

COLLOQ. Ad Christum in cruce morientem conformia.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO. XXVII.

De Mysteriis in cruce factis. Matth. 27.

Luc. 23. Joan. 19.

Myst. punct. 3.

CONG. Eadem.

PRÆL. I. Quomodo in morte Christi petra scissæ sunt, monumenta aperta, velum Templi scissum, & aqua, & sanguis ex latere Christi profuxerit.

PRÆL. II. Aspicere Jerosolymam, & Calvarie montem.

PRÆL. III. Petere gratiam Christo compatienti, & commoriendi.

PUN

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Consideremus multitudinem hominum in tenebris illis, qui ad spectaculum Christi crucifigendi convenerant.

INTEL. Inveniemus quosdam, veluti scribas, & pharisæos, pertinaces in invidiâ, & odio suo: quosdam, inter quos fuit Centurio ille, permotos ad pœnitentiam: quosdam, qualis fuit B. Virgo, & S. Joannes, plenos commiseratione, & Charitate. REFL. Consideremus nos ipsos, & videamus, ad quorum numerum spectemus.

VOL. Conjungamus nos ad illos, qui cum B. Virgine tangebantur commiseratione, & simul eliciamus affectus veræ pœnitentiæ.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terramotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: verè filius Dei erat iste.* Matth. 27.

INTEL. En quomodo tandem ab homine gentili & milite exprimitur vox veritatis. Sic in novissimo Judicio exprimetur vox illa: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum. &c. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei &c.* Sap. 5. REFL. Concludamus præstare, ut nunc cum Christo humiliemur, & crucifigamur, ut deinde inter filios Dei computemur.

VOL. Juxtâ posteriorem eligendi modum semper consideremus, *quo me consilio hac in re usum esse vellem, in die judicii: & ad Christum conversi toto corde dicamus: Tu es Christus filius Dei vivi.* Joan 11.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Et clamans voce magna Jesus ait: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum, & hac dicens expiravit.* Luc. 23.

INTEL. Sic Christus consummavit omnia, & humiliavit semetipsum, factus obediens, usque ad mortem, mortem autem crucis. Phil. 2. REFL. Quid nobis debet esse animi, quando Rex noster ita expiravit?

VOL. Involvamus nos totos tertio modo humilitatis: *Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Joa. 11.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Aspiciamus Christum cruci affixum, & jam mortuum.

INTEL. Contemplemur, & perpendamus illum horarum trium acerbissimum agonem, & cœtera omnia tormenta, quæ in cruce passus est. REFL. Non multis opus est: res ipsa loquitur, quid nos deceat.

VOL. Optabat Apostolus. Phil. 3. *Societatem passionum illius; configuratus morti ejus.* Idem nos optemus, ut configuremur morti ejus.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. *Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum, & terra mota est, & Petra scissa sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Matt. 27. *unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua.* Joan. 19.

INTEL. Similia miracula poterat Divinitas antè facere: sed distulit, quia oportuit pati Christum. Luc. 24. REEL. Nos quoque dum patimur, Deo debemus

hemus permittere tempus, faciendi prodigia.

VOL. Clamemus potiùs cum S. F. Xaverio: *amplius Domine, amplius*; ut possimus meliùs configurari morti Christi.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Lnc. 23.

INTEL. Percutiebant pectora sua ex pœnitentia, & compunctione. REFL. Nos quoque debemus percutere pectora nostra, quia iniquitas nostra, & misericordia Christi erga nos, crucifixerunt, & occiderunt eum.

VOL. Hic si umquam, urgemur ad affectus contritionis perfectæ, & tertii modi humilitatis.

COLLOQ. Ad Christum in cruce pendentem, qualia inspirabit affectus. RECOLL.

MEDITATIO XXVIII.

De Mystero sepulture, Ibidem.

Myst. punct. I.

CONG. Ordinaria.

PRÆL. I. Quomodo de cruce sublatus fuerit mortuus Dominus, in conspectu afflictissimæ Matris.

PRÆL. II. Aspicere locum, in quo crux fixa erat.

PRÆL. III. Petere gratiam, cum afflictissima Matre lugendi in morte dilectissimi Filii.

Y 5

PUN-

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Videamus ad crucem Christi jam mortui B. V. Matrem, cum aliis mulieribus, S. Joanne, Josepho ab Arimathæa, & Nicodemo.

INTEL. Consideremus singulorum mœrorem, curam, commiserationem, &c. **REFL.** Cogitemus nos inter illos adesse, & cum singulorum affectu, nostrum conjungamus.

VOL. Dicamus ad B. V. Matrem: *Sancta Mater istud agas, crucifixi fige plagas, cordi meo validè. &c.*

PUNCTUM III. VERBA. MEM. Joseph ab Arimathæa Nobilis decurio... audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Marc. 15.

INTEL. Audiamus apud Pilatum vocem Josephi zelosam, liberam, intrepidam. **REFL.** Sic decet nos zelosè loqui, dum agitur causa Dei.

VOL. O! Deus, loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebam. Ps. 118.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Joseph tulit corpus Jesu. Joan. 19. & depositum involvit sindone. Luc. 23.

INTEL. Judæi clamaverant: *Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce.* Matth. 27. Sed Christus noluit descendere; sed deponi, & quidem postquam in ea perseveraverat usque ad mortem. **REFL.** Hinc discamus perseverantiam, & constantiam in cruce.

VOL. Petamus fructus Spiritus Sancti, inter quos est *patientia, & longanimitas*; dona item ejus-

eiusdem Spiritus, inter quæ est *fortitudo* necessaria, ut cum Christo perseveremus in cruce.

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR B. VIRGO. MEM. Hisce omnibus intererat Mater afflictissima.

INTEL. Verè illa præ omnibus communicavit Christi filii sui passionibus: laborumque & molestiarum constans socia extitit. **REFL.** Concludamus quod etiam præ cæteris victoriæ & felicitatis particeps futura sit.

VOL Hoc afflictissimæ Matris exemplum semper præ oculis habeamus, dum dicimus: *En o! Rex supreme, &c.* attestor coram infinita bonitate tuâ; nec non in conspectu gloriose virginis Matris tuæ... hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum, quàm possim proximè te sequi, in ferendis injuriis, & adversis omnibus, &c.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Cogitemus Divinitatem unitam mansisse animæ separatæ, & corpori.

INTEL. Manet tamen quasi abscondita divinitas respectu Matris, & ei adhærentium, sicut erat respectu Christi; neque Matrem liberat ab illo dolore & luctu. **REFL.** Nil igitur mirum, si nobiscum etiam sic agitur. *Non est Discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum.* Matth. 10. Et si Matrem oportuerit cum ipso pati, quanto magis nos?

VOL. Semper præ oculis habeamus illas voces Apostoli. Hebr. 12. *Ne fatigemini animis vestris,*
de

deficientes ... quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplinâ perseverate, &c. cum B. Virgine jungamus patientiam nostram.

PUNCTUM VI. QUID. NOS. MEM. Beata Mater, *vidit suum dulcem natum, morientem desolatum, dum emisit spiritum. Pro peccatis sua generis, vidit Jesum in tormentis, & flagellis subditum.*

INTEL. Nimirum peccata hominum, fuere causa totius Passionis Christi & secutæ desolationis in Matre aliisque. REFL. Hinc patet, quanta sit in peccato malitia.

VOL. Exerceamus affectus primæ hebdomadæ.
COLLOQ. Tria ex eadem hebdomadâ.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XXIX.

De Mystero sepulture, Ibidem.
Myst. punct. 2.

CONG. Ut solet.

PRÆL. I. Quomodo delatum sit ad sepulchrum, corpus unctum, & inclusum.

PRÆL. II. Intueri locum sepulchri.

PRÆL. III. Petere gratiam, comitandi fructuose corpus Christi ad sepulturam.

PUN-

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Oculos vertamus ad Nicodemum, qui cum B. Virgine, & aliis adfuit sepulturæ Christi.

INTEL Contemplemur illum ferentem *mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum.* Joan. 19. **REFL.** Nos quoque imitemur liberalem ejus animum erga Christum: si enim, *quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigida.. non perdet mercedem suam.* Matth. 10. multò magis hæc liberalitas ipsi Christo impensa, mercedem habebit.

VOL. Exuamus nos omnibus, & paupertatis spiritum sectemur, ut omnia Christo demus. Quapropter cordi nobis deinceps erit. Reg. summ. 19. quia *quantò quis liberaliorem erga summam Majestatem se præstiterit, tantò eum in se liberaliorem etiam experietur.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus de Muliere, quæ effuderat unguentum super caput ejus, dixit Matth. 26 *opus enim bonum operata est in me... mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.*

INTEL. Ratiocinemur quantum opere laudandi sint omnes isti, qui re ipsa, tanto cum affectu ipsum sepelierunt. **REFL.** Nos quoque decet talem à Christo laudem mereri, liberali obsequio nostro erga corpus ejus in venerabili Eucharistiâ; ubi est quasi mortuo modo.

VOL. Excitemus ad id nos illis verbis: *quantum potes*

potes tantum aude, quia major omni laude, nec laudare sufficis.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Et accepto corpore, Josephin volvit illud sindone mundâ. Matt. 27. & ligaverunt illud linteis cum aromatibus. Joan. 19.*

INTEL. Consideremus munditiem sindonis, & aromata, quibus Christi corpus involutum fuit. **REFL.** Sic nos munditiem cordis & virtutum aromata debemus adhibere, dum sumimus corpus Christi.

VOL. Petamus hæc virtutum aromata, his verbis: *fac me tibi semper magis credere, in te spem habere, te diligere.* Munditiem verò hisce: *Pie Pelicane Jesu Domine, me immundum munda tuo sanguine, &c.*

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Intueamur B. Virginem cum cæteris tam Viris, quam Mulieribus sepulturâ occupatis.

INTEL. Perpendamus obsequium, quod præstabant, fuisse plenum luctu, & mœrore. **REFL.** Sic qui Christo serviunt, participes debent fieri ejus dolorum.

VOL. Offeramus nos Christo, ut nos quoque ei servientes passionis ipsius participes fiamus.

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Videamus Christi corpus ad Sepulchrum deferri.

INTEL. Divinitas permittit omnia fieri, *sicut mos est Judæis sepelire.* Joan. 19. **REFL.** Sic Deus permittit nos peragere multa, *sicut mos est,* ut patientia, & meritum nostrum augeatur.

VOL.

VOL. Anhelemus ad fructus Spiritus Sancti, inter quos est *patientia*, quæ maximè necessaria est in sequendo, & premendo Christi vestigia.

PUNCTUM VI. Quid Nos. MEM. Tandem B. Virgo cum aliis reponit corpus Christi, & includit in Sepulchro.

INTEL. Cogitemus, quomodo illi omnes modo ad sepulchrum, modo ad crucem respectaverint, & quos affectus elicuerint. REFL. Nos quoque eadem cordi nostro imprimamus, memores, quod Christus mortuus, & sepultus sit, ut deleret, quod *adversus nos erat Chirographum decreti*. Coloss. 2. idque ex amore erga nos.

VOL. Conjugamus affectum amoris nostri erga Christum cum illo B. Virginis, & aliorum, qui Christo obsequium præstiterunt deponendi, & sepeliendi: & in signum veri amoris, & perfectæ contritionis, offeramus illi tertium humilitatis modum.

COLLOQ. De eodem tertio modo. RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXX.

De Mystero sepulture. Ibidem.

Myst. punct. 3.

CONG. Solita.

PRÆL. I. Quomodo Sepulchro adhibiti sint custodes.

PRÆL. II. Intueri Sepulchrum clausum.

PRÆL.

PRÆL. III. Petere gratiam patiendi, & adhærendi Christo mortuo, & sepulto.

PUNCTUM I. PERSONÆ MEM. *Post Parasceven convenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisei ad Pilatum.* Matth. 27.

INTEL. Consideremus illos Principes Sacerdotum, & Phariseos, qui cum alii ab illo spectaculo redirent pleni compunctione *percutientes pectus sua*, Luc. 23. ipsi reduces manebant pleni pertinaci invidiâ, & odio in Christum, quæ invidia nascabatur ex superbia, quæ superbia radicata erat in cupiditate divitiarum, & honorum. REFL. Concludamus hinc, quàm verè dicatur: quod ex præcipuis illis tribus tentationum gradibus, *in alia vitiorum genera omnia, præceptus fit decursus.*

VOL. Confugiamus ad affectus Meditationis de 2. vexillis.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Pharisei illi dicebant Pilato: *Domine recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens.* Matth. 27.

INTEL. *Seducitor ille, hoc appellabatur nomine Dominus Jesus Christus, ad solatium servorum suorum, quando vocantur seductores,* inquit S. August. in Ps. 63. REFL. Equum est nos horum meminisse, dum similia de nobis dicuntur.

VOL. Hic iterum nos firmemus in affectibus præteriti puncti, optantes virtutes contrarias tribus tentationum gradibus.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Ait illis Pilatus: Habetis custodiam; ite; custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munerunt sepulchrum signantes lapidem, cum custodibus. Matth. 27.*

INTEL. Sic illi pugnabant contra resurrectionem Christi: & *Principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus. Psal. 2.* REFL. Nos verò perpendamus quàm stultum fuerit hoc consilium. Nam *non est consilium contra Dominum. Prov. 21. ideoque qui habitat in Cælis, irridebit eos. Psal. 2.*

VOL. Nos sub vexillo Christi, magnos animos concipiamus contra omnes terrores adversariorum, juxtà Regulas de dif. spir. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Pl. 2. In te Domine speravi, non confundar in aeternum. Psal. 70.*

PUNCTUM IV. QUID PATIATUR. MEM. Recogitamus omnia hæc in mysterio sepulturae peracta.

INTEL. Ratiocinemur Christum modo quodam certo, non cessare à patiendo etiam post mortem. Nam manet in summâ paupertate, ut in alieno etiam sepulchro debeat sepeliri, & alienis sumptibus. Patitur in honore, dum vocatur seductor. Patitur persecutionem: dum muniunt sepulchrum contra resurrectionem, & dum corpus ejus ipsis hostibus datur custodiendum. Patitur in dilectissimâ suâ Matre, & Discipulis suis, derelictis in summâ solitudine & afflictione, &c. REFL. Nostrum est ità constanter, & usque ad finem cum

Z Christo

Christo pati, ut etiam dicere possimus, *consummatum est.* Joan. 19.

VOL. Pudeat nos hærere in primâ aut secundâ hominum classe. Nam illi numquam dicere possunt *consummatum est.*

PUNCTUM V. QUID DIVINITAS. MEM. Eadem re cogitemus, quæ in priore puncto.

INTEL. Ratiocinemur, Divinitatem etiamnum latere absconditam: & hæc omnia permittere: ut de passione Christi possit dici: *consummatum est.* & *ut adimplerentur scriptura.* Matth. 26. REFL. Hoc sanè deberet nos urgere, ut constituamus nos firmo proposito in tertiâ hominum classe, & ut non tantum verbo, sed opere & veritate Christo compatiamur.

PUNCTUM VI. QUID NOS. MEM. Non avertamus mentem à jam dictis.

INTEL. Perpendamus hæc omnia contigisse, ex dilectione Dei erga nos, *cum adhuc peccatores essemus.* Rom. 5. *Non ex operibus justitia, qua fecimus nos; sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Tim. 3. REFL. Quid nos ad tantum amorem?

VOL. Cum perfectâ contritione totos nos effundamus in affectus tertii modi humilitatis.

COLLOQ. Conformia, identidem renovemus.
RECOLLECTIO.

REPETITIONES, modò partis, modò totius passionis fiant, prout annotatur in fine hebdom. 2. ante Regulas de victu. Item SENSUUM APPLICATIONES.

FINIS HEBDOMADÆ TERTIÆ.
HEBDO.